d. 7.

NICOLAI PARTHENII GIANNETTASII S.
AE STATES SVRRENTINAE
Andreas Magliar Scul
P. de Matteis In.
Neapoli apud Iac: Raillard an: 1696.

ÆSTATES SURRENTINÆ.



ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO

FRANCISCO PIGNATELLO

Archiepiſcopo Tarentino Meritiſsimo;

BIBLIOTECA ROMANA VITTORIO EMANUELE

Nicolaus Parthenius Giannettaſius S. I.
Perpetuam Felicitatem.



QUoniam id jam uſus obtinuit, Vir Illuſtriſsime, ut pro foribus privatarum ædium clariſſimi alicujus Herois inſigna prefigerentur; nempè & præſidio eſſent, & ornamento; idcircò patiare, quæſo, Præſul ornatiſſime, ut præ-

clariſſimum tuum nomen in facie hujus operis inſcribam, atque tua glorioſiſſima ſtemata appingam. Ex his enim unis magnum illi præſidium futurum, magnum acceſſurum decus jure, meritoque mihi promitto. Sperabam equidem, fateor, fore, ut illa conchyliata depingerem: atque in hanc ſpem non temere quidem, ſed certa ratione veneram. Quis enim vel nobilitate generis, vel prudentiæ laude, vel caſtitate morum, vel ſapientiæ prærogativa, vel gradus eminentia, te dignior? perquam pauciſſimi admodum ſunt, abſit verbo invidia, qui tecum conferri poſſunt. Verum quid externa ornamenta quæro? quid aliunde decora accerſo? non enim tu is es, qui alienis coloribus indigeas, ut eniteas: neque alieno tibi favore opus eſt, ut emineas. Abundè tibi domeſticis titulis virgata veſtis præfulget; abundè paternis inſignibus, quaſi gemmis interdiſtincta præfulgeſcit, atque avito fucata conchylio purpuraſcit de ſuo. Illi ſibi ab externis ornamenta petant, quibus curta domi ſupellex eſt, ut ſplendidè exornentur. illi alienum ſibi favorem concilient, qui ſuæ magnitudini, quo conſpicui ſint, neutiquam niti poſſunt. Et ſanè mirarer animi tui magnitudinem, & conſtantiam penè ſingularem, qua honores ampliſſimos, jam tibi à tanto populorum plauſu, atque acclamatione deſponſatos ge-

generoſiſſimè contemnis, niſi planè ſcirem te non accipere ſplendorem à faſcibus, ſed tribuere, inſignire titulos, non inſigniri, atque honores ipſos honore cohoneſtare. Satis igitur mihi à tuo nomine præſidii, ſatis ab inſignibus tuis nativo colore nitentibus decoris eſt, & ornatus. Verum quod ad præſentem rem attinet, dicent fortaſsè tenuiora iſtæc noſtra, ac ludicra tibi viro graviſſimo minimè cõvenire. Quid enim cum Præſule vigilantiſſimo Surrentinę ſeceſſiones? quid cum homine ſerio feſtivitates, & joci? quid cum ſobrio lætiora convivia? Atqui errant oppidò, ni me fallo: ſiquidem quid viro occupatiſſimo opportunius, quam honeſta ſeceſſio? quid ſerio dedentius, quam tempeſtiva feſtivitas? quid ſobrio magis congruum, quam lætior interdum convictus? nam ut optimè apud Ariſtotelem Anacharſis: Admittendus nonnunquam jocus, ut ſeriis rebus vacare liceat. & remittendus interdum animus eſt, ut laboribus par eſſe poſſit. Quocirca non abs re factum, Vir ampliſſimè, ſi meas haſce Surrentinas Æſtates, tibi obtulerim: poteris enim illis defatigatum animum aliquantulum relaxare, cum à publicis curis, ſeriiſque negotiis aliquam feceris intercapedinem. nimirum ut vegetior deinde, ac valentior quiete, atque intermiſſione laborum factus, attentius, atque accuratius

ad

ad res publicas ſeſe applicet. Quinimò cum illis feſtivitatibus, ac jocis erudita quædam, quædam verò docta, ſcituque non indigna conſperſa ſint, vel ipſum otium operoſum erit, nec jactura temporis ſine lucro.

Supereſt igitur, ut illas benignus excipias: inque meæ erga te obſervantiæ teſtimonium admittas. debeo ſanè tibi plurimum: tantiſque me implicatum, obſtrictumque beneficiis tenes, ut quamquam maximè velim, nullam, non dico parem, ſed quæ aliquantula ſit, exhibere poſſum animi ſignificationem. verum tanta tibi benignitas, comitas tanta eſt, ut exiguam hanc gratam, acceptamque tibi fore confidã. Vale. Neapoli Id: Decem. MDCXCVII.

Aloysius Albertinus Præpositus Provincialis Soc. Iesu in Regno Neapolitano.

CUm librum, cui titulus est, *Æstates Surrentinæ Nicolai Parthenii Giannettasii è Soc. Iesu*, aliquot ejusdem Societatis Jesu Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; Nos potestate nobis facta ab Adm. Rev. Patre Nostro Thyrso Gonzalez Præposito Generali, typis mandari concedimus, si jis videbitur, ad quos editio librorum spectat. Datum Neapoli die 23. Julii 1696.

Aloysius Albertinus.

Dominus Canonicus D. Antonius Matina videat, & in scriptis referat die 4. Augusti 1696.

Ioannes Andreas Siliquinus Vic. Gen.

D. Ianuarius de Auria Canonicus Deputatus.

Eminentissime Domine.

SUrrentinæ Æstates P. Nicolai Parthenii è S. J. quia præceptorum moralium ditantur frugibus, ac eruditionis, eloquentiæque vernant floribus, plusquam autumnalem Legentium animis doctrinæ, & sapientiæ promittere videntur ubertatē. Calor enim in his Æstatibus vitalis minimè incommodat, sed maledicentiæ, ac invidiæ exterminat hyemes, Scriptoribus quandoque molestas. Opus igitur egregium, ac Surrentinum, quod Sirenum labor meritò dici posset, magisque à me admiratum, quam recensitum, typis destinandum censeo, ut multiplici editione auctum, in publicam Litera-

ſorum cedere valeat utilitatem. Neap. die 25. Septembris 1696.

Eminentiſsimæ Dominationis Tuæ

Addictiſsimus, & Humillimus Famulus
Canonicus Antonius Matina.

Attenta ſupraſcripta relatione Domini Canonici Reviſoris, quod poteſt imprimi, Imprimatur, die 3. Octobris 1696.

Ioannes Andreas Siliquinus Vic. Gen.

D. Ianuarius de Auria Canonicus Deputatus.

Eccellentiſsimo Signore.

GAcomo Raillard ſupplicando eſpone à V. E. come deve dare alle ſtampe un libro intitolato: *Æſtates Surrentina Nicolai Parthenii Giannettaſii S. I.* Per tanto prega la ſua benignità à commetterne la reviſione per la ſolitaa licenza, e l'haverà à gratia da V.E. ut Deus.

Attenta relatione Spectabilis Regentis D. Ianuarii Andreas Regii Collateralis Conſiliarii, ſitenat imprimere, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica.

Gaſcon R. Andreas R. Andreaſſi R.

Errata ſic Corrige.

Pag. 9. verſu 25. lege, divitiæ. P. 12. v. 12. l. primo. P. 30. v. 29. l. cribrario. P. 32. v 15. l. linteo. P. 61. v. 27. l nullus. P. 65. v. 10. l. alsios. P. 99. v. 6 l. intubus. P. 105. v. 16. l. antiquum. P. 110. v. 9. l. ℭ. P, 131. v. 9. l. nunc. P. 179. v. 16. l. πλανῆται. P, 203. v. 25. l. latinum. P. 204. v. 23. l. ἰδιῆται. P. 221. v. 30. l. quod. P. 235. l. futurus. P. 244. v. 29 l. ſcire. P. 267. v. 6. l. ſalutem.

ÆSTA-

ÆSTATUM SURRENTINARUM

LIBER I.

CAPUT PRIMUM.

Vniversa Amalphis, atque Surrenti ora, & Surrentinum rus describitur; operisque institutum exponitur.

SUrrentinas Æstates scripturus operæ pretium duxi, si in ipso operis exordio Surrentinum nostrum spectandum legentibus exhiberem: atque illius situm quammaximè possem graphicè describerem; ut & quodammodo oculis contemplarentur pulchritudinem, & amœnitatem loci, & quæ dicenda sunt facilius intelligerent. plurimum enim confert ejus loci cognitionem, ac depictam velut imaginem habere, ubi aliquod factum esse narratur, quod vel audiat quispiam, vel legat: ut illis factitare mos est, qui fabulas dare consueverunt. ne verò manca sit descriptio, ut sæpenumerò cadit perquam incommodè, cum quis compendio plus æquo studens, rem implicat verius, quàm explicat, idcircò paulo altius exordiar.

Ad extremam oram Campaniæ, quà Sarnus fluuius Pompejanum interluens, se se in Craterem exonerat, ab Italiæ continente lingua educitur, & ad XVI. millia passuum excurrit: à Meridie Pęstano sinu, à Septentrionibus Cratere alluitur: ad occiduum verò Solem Capreas objectas habet: à quibus freto IV. millia passuum disjungitur. Præruptis primùm, atque altissimis montium verticibus, qui sunt Apennini in Subvesperum vergens ramus, attollitur. Mox in æquiores colles demittitur: exin modicè iterum assurgens, longius extenditur, quoad demissis tandem rupibus, finiatur mari. Altior vertex, qui Stabias inter, & Æquensem Vicum fastigiatus consurgit, Lactarius idcircò, ut arbitror, appellatus, quia identidem hyeme altissima nive candicat. æquiores sunt colles Surrentini, quos incolæ Cermennam indigitant. Postremum verò jugum, Mivervæ promontorium est. ità vocatum à Deę delubro, quod Græcos olim, qui terras hasce primi incoluerunt, fabricasse, memoriæ proditum est. illius vestigia adhuc extant: nimirum pavimentum opere tessellato, èq. perlucidis lapillis affabrè coagmentatum: & columnæ marmoreæ, in quarum capitulis noctuę Palladi sacræ insculptæ sunt.

Meridionale latus, & si saxis, scopulisque asperum, & cultus minimè patiens, tamen convalles plurimas, & maritimos colles habet amœnos æquè, ac feraces. accedit hominum industria, quæ ibi major esse consuevit, ubi minus terra subministrat. Ita enim hominum genus est, ut indigentia solers, & patiens laborum fiat: ubertate verò deses, & amans voluptatis, & otii. Hinc videre licet durissimos vertices emollitos, victamque filicum pervicaciam: & quà oleis, quà citriis, quà malis Atlantæis pulcherrimè convestiri. sicubi verò tellus paulo mollior est, & succi plus habet, ibi pectita ma-

magis : & vel vitibus consita est, vel pomis. nempe nullum tam asperum saxetum, in quo agricolarum industria non elaboret. Universus oræ tractus tot urbibus, ac oppidis, tot villis, ac vicis refertus, situ tam eleganti, tam vario, ut præternavigantibus jucundissimæ scenæ, ac sese identidem variantis, speciem præseferat. In theatri medio sedet Amalphis, olim emporio, & commerciis celeberima, cui ob nauticæ Pyxidis, divinam penè dixerim, inventionem, navigandi ars quamplurimùm debet. Aër hyeme apricior, ac temperatus, æstate verò frigidiusculis afflatus auris quamplacidissimus. Ora omnis maritima reductis finibus commoda, fontibus irrigua, atque antris quamplurimis & amœna, & opaca. mare verò ipsum maximè piscosum est, præcipuè ad Sirenusas, quæ insulæ turtitæ quasi speculæ non longulo à litore spatio absunt. quæ cum thymo ferè semper virescant, lætissima vervecibus pascua suppeditant.

Septentrionale latus, quod circumflexu suo altetum Crateris orbem decircinat, atque illius laxitatem coarctat, felicior, atque uberior est. Primæ occurrunt Stabiæ, maritimum oppidum, & civibus frequens, & portu commodum: finistra altissima rupe cingitur: dextra amœnissimos colles, & æquiorem planitiem habet: cui vel ubertate glebæ, vel cultu nihil admodum est, quod accedat. colles, qui vicis plurimis incoluntur, & vino nobiles, & pomis omnis generis laudatissimi. felices mons umbras, & gratos æstate recessus exhibet. Mille passus à Stabiis apricus collis eminet, in quem fallente sensim clivo, litus assurgit. in illius vertice insigne Virgini fanum dedicatum est. Hinc ad III. passuum millia, quod terræ spatium interjacet, quà rupibus, quà scopulis, quibus ora omnis prætexta est, avium, atque impeditum. Deinde opportunum in sinum curvatur-

erumpitque ſtatim in collem, cui Vicus Æquenſis impoſitus. exin in alterum ſe ſinum incurvat. Oppidum acceſſu non adeo facilè: verum ubi conniſus in altum evaſeris, illicò viridiſſimi colles, arboribus inveſtiti, amœniſſimæ valles, vel pomorum, vel vitium feraces, tibi ſeſe viſenda præbent mirabili voluptate. in hiſce verò vallibus propter opacitatem, ſerò gemmaſcunt arbores, ſeroque fructus matureſcunt; ideircò id temporis, quo alibi deſinut, hic incipiunt, annique ubertatem quodammodo amplificant. altiora verò montium juga, quà olivetis, quà quercetis paſſim nemoroſa.

Deſcendentibus iterum ad mare alta, & prædura rupes occurrit, quæ è mari tam recta ſurgit, quam quę rectiſſima; ut illam ad perpendiculum exegiſſe naturam credas. interciſa paſſim ſilice, ac pendentibus ſupra ſaxis, quaſi jam ruituris non minus jucunda viſu, quam horrida. Scutalo monti nomen vulgò factum eſt, quem ut primum ſuperaveris, ſtatim Surrenti ſinus, laxati inſtar arcus, ſeſe oculis aperit, proſpectu tam amœno, tam pulchro, ut nihil ſupra. Gemini in utroque cornu montes, humiles in medio colles ſinum univerſum ambitu IV. millia fermè paſſuum complectuntur. ſupra colles æqua planities patet tot vicis, ac villis habitata, tot frequens ædificiis, tot conſita arboribus, tanta varietate, atque elegantia, ut tota quanta eſt unum pomarium videatur. altiores illum colles alii coronant, qui & ipſi ſylvis, ac villis ornatiſſimi pulcherrimo quaſi theatro, theatrum ambiunt. Ad extremùm Surrentum eſt, urbs tum nobiliſſima, tum antiquiſſima, quæ ob loci delicias Sirenum domus, à quibus nomen ſortita eſt, haberi meruit.

Sed jam tibi Surrentinum promontorium prætervecto ſinus alter anguſtus magis, magiſque arcuatus ſeſe oculis offert, quem Surrentinum hinc, illinc Lubrenſe pro-

promontorium CM. ad modum paſſuum intervallo diſtantia, coërcent, ac terminant. acclivi, apricique colles, oleiſque veſtiti, caveæque præ ſe ſpeciem gerentes, viridiſſimo quaſi ſerto ſinum cingunt, atque intercurrunt. à Pollio Felice nomen obtinet, qui hic ſuperbiſſimam olim villam extruxit: & duobus fanis, Herculi uno, Neptuno altero exornavit. illius monumenta, quæ ab injuria temporis adhuc vindicantur, vel in ipſis ruinis admiranda ſeſe commendant.

Supereſt ultima lingula, quæ ad promontorium uſq; Minervæ ſenſim acuminata procurrit. maritimi vel hic colles laxioris inſtar theatri modico flexu curvantur. quà proximè mare ſpectant, quamvis natura duri, præmolliti tamen arte, denſis oleis perpetuò vernant: ſuperiores benigni magis, ac uberes; idcircò quà vinetis, quà pomariis lætiſſimi. ſumma juga in planitiem extenta apriciora magis, Cereriſque feracia: venatui etiam, & paſcendis gregibus perquam commoda; quippe quæ thymo, atque hujuſcemodi odoriferis herbulis toto fere anno viteſcunt. Majo, cum primum veniunt è tranſmarinis regionibus, Auguſto, & Septembri, cum in novos lares commigrant, tanta coturnicum copia: tanta item ficedularum toto Autumno: tanta turdorum hyeme, vel retibus, vel ſclopis capitur, ut incredibile cuique ſit. Plurima per colles oppidula, hac, illac, velut ſparſim conſita frequentius habitantur, quæ cuncta, uno, eodemque vocabulo Maſſam ad delubrum incolæ indigitant. Aër in toto hoc terræ tractu ſaluberrimus: cœli temperies, etſi hyeme duriuſcula ob Aquilones, quorum flatibus expoſita, æſtate tamen clementiſſima, ac placidis continuò Zephyris perflata. imò id temporis, quo alibi ferventiſſimi ſunt æſtus, hic ver tepidiſſimum. mare tum ob multiplices ſinus, ac receſſus, tum ob molles, & piſco-

ſos ſcopulos hoſpitaliſſimum eſt. ad ſummam, ita felix eſt exigua hæc terrarum particula, ut nihil felicius eſſe poſſit.

Sed jam in Surrentinum, cujus gratia iſthæc narrata ſunt, me deducam. Infra lapidem ab urbe Orientem verſus, quò læta viretis, opaca arboribus, villis, ac vicis frequentiſſima ad Vici montes pertinent Surrenti Campeſtria, amœniſſima villa eſt in colle ſita; ex quo totius Crateris quaqua verſus proſpectus patet: qui quidem tam pulcher eſt, quam qui pulcherrimus. Dextra Æquenſis Vici colles aprici, ac virides non longè apparent: quos ſupra faſtigiato eminet vertice Lactarius, cujus præruptæ, nudæque rupes, vel horrore ipſo oculis placent. Longius verò, biceps veluti Parnaſſus, Veſuvius cernitur: qui ſuis interdum flammis ſcit ad voluptatem prælucere: ad illius radices Pompejanum hinc, illinc Herculanum, univerſaque Campaniæ ora, quæ monti ſubjecta eſt, paſſim vicis, atque ædificiis diſtincta, viridique arborum textu interpicta, mira oculos pulchritudine, mira varietate delectant. Læva Surrentum eſt, & viridiſſimus collis: quem mox interminatum ſequitur mare; ut haberet, quà latius vagaretur obtutus, & jucundior eſſet varietate proſpectus. quem iterum finiunt Ænaria, Prochyte, Miſenus, Bajæ, Puteoli; ſupra quos illinc Gaurus, hinc verò Phlegra conſpicua eſt, quæ interdiu candicat, noctu verò, erumpentibus interdum flammis, coruſcat: ſæpenumero adeò reboat, ut adhuc decertare ibi cũ gigantibus Herculem credas. Contrà verò in ſcenæ veluti medio Antinianus (ni mavis ab Antonii villa dicere Antonianum) conſurgit. in cujus clivo regina urbium Neapolis ſedet. qua longè ſpectantibus nihil adhuc eſt, quod pulchrius videri poſſit. Nam vel altiſſimos templorum tholos, vel turres celſiſſimas, vel ampliſſi-

mas

mas arces, vel eminentia ædificia, vel florentiſſimam collium coronam, vel extenſa ad inſtar urbium ſuburbia proſpicias, incredibilis profectò multitudo eſt, atque inſatiabilis varietas, quæ ſtupore oculos, voluptate animos, admiratione mentem continuò paſcant. Ipſe etiam Crateris ſinus, cum pacatum eſt mare, modò cæruleo ſuo colore, ac tractim variante, modò leviter criſpatus Zephyris, veluti laſciviens mira oculos afficit delectatione. E colle ad oram maris in ipſa rupe extructa via eſt, quæ partim patet aperta, partim verò contecta, per illius viſcera ſe inſinuat, ſerpitque quaſi Męander tortuoſa. Ubi ad litus veneris, plurima reperies antra ad captandum æſtate frigus opportuna: Sunt etiam exporrecti in mare ſcopuli herbidi, & odoroſi, quibus aſſidens, vel erudita lectione otia, vel piſces fallas arundine. circum exciſa in rupe ſedilia, quę dum alternis adlambit mare, ſtrepitu ſuo canoros fluviorum curſus imitatur. In colle fructiferæ paſſim arbores ſolum inumbrant, diſtinctæque in certos ordines, veluti in ſua regna. Hic vites pampineæ vel nixę ridicis, vel aſſociatæ pendent è populis: nexique funetis palmites gravibus curvantur uvis. Hic Nuces Juglandes, Græcæ; atque Avellanæ longo ramorum textu ſylveſcunt. illinc Ficus quamplurimæ, Herculaneas nimirum, Albicerata, Bifera, Lydia mamillana, Alba, nigra, Duricoria, atque Africa fęcundis ramulis mirè luxuriant. Ibi Pyrus Aniciana, Cirrita, Græcula, Orbiculata, Sextiliana, cumque Volemo Valeriana ſera, lætiſſimos pondere ramos demittunt. non longe Prunus, ac malus Amerina, Coccymela, Appia, Punica, atque item Perſica, Armeniæ, & Præcocęs mirabili ubertate pubeſcunt. illic Caſtaneæ, altæque Fagi patulam ſpargunt umbram, friguſque ſuppeditant. Hic perpetuis vernat frondibus Malus Atlantæa: & modò argenteis

floribus, modò aurea pomorum ſobole magnam ſibi admirationem conciliat, miram animis exhibet voluptatem. parietes florentes ſemper Citrii Attalico velut opere conveſtiunt. ſubter verò flores vireſcunt, & herbulæ, quæ Phrygia quaſi acu ſolum variant, atque interpingunt? Non deſunt aves quamplurimæ, quæ per denſas arborum frondes circumcurſantes cõcentu ſuo aures blandiſſimè demulceant. Quin canorus ipſe Zephyrorum flatus, in arborum frondes alliſus, atque repercuſſus, certare cum avibus cantu videtur. Eſt tandem in horto Xyſtum (ſubdialem ambulationem latinè dicimus) quà deambulare poſſis tum animi, tum valetudinis cauſſa, & genialibus cum amicis habere colloquia. Eſt etiam in ipſa collis crepidine Calopſis impoſita (liceat, ſic reddere, quem vulgus Italorum *pulchrum proſpectum* appellat. Eſt autem edito in loco extructus fornix teſtudineatus, quatuorque columnis, ſeu pilis, quæ marmorato expoliri, ornarique ſolent, innixus: ex quo quaqua verſus liber proſpectus patet) ubi jam defatigatus ad aſpectum maris ſub umbra ſedere queas, & vel proſpectu, vel otio ad ſatietatem recreari. Atque hæc eſt villa Surrentina, quæ tum valetudinis, tum ſtudiorum cauſſa me recipit æſtate, & quam longiſſimè à curis tenet.

Hic me ruſticantem ſæpiuſculè amici modò è vicinis locis, modò Neapoli, vel benevolentiæ, vel oblectationis gratia conveniunt. ego illos pari cum humanitate, tum viciſſitudine officiorum excipio, menſaque exhilaro, quæ quidem neque poculis obruatur, neque ferculis laſciviat: ſed quæ Platonicum philoſophum condeceat. ne verò tempus totum vel otio tranſigatur, vel abaco, & latrunculis, trudiculiſve conteratur (nihil enim adeo mi cordi eſt, quam tempus ne lacerem) eruditas confabulationes vel inter epulas, vel in-

inter deambulandum habemus: & has quidem de rebus vel eruditis, vel curiosis, ut varia fert occasio, & varius item genius amicorum. quas mox ego post illorum discessum stylo facili, & minimè moroso in commentaria refero. id verò post somnulum meridianum, in quod tempus, quæ levioris sunt operæ reicio: manè enim, cum vegetior est animus, mens expeditior, majoribus operibus incumbo. Hæc vero commentaria, quæ Surrentinas Æstates vocare placuit, ut per succisiva tempora illaborata exciderunt, exponere visum est. non quò velim illis vel politioris styli, vel reconditæ eruditionis mihi laudem comparare (ità me dii ament, ut ab hac sum maximè alienus; quippe qui pulchrè mihi ipsi notus) sed (natura enim impellimur ut prodesse velimus quamplurimis) ut juvenes nostros, quos sæpe verbis admonueram, exemplo nunc doceam, nullum esse tempus, quod sine aliqua exercitatione præterire patiantur. ita enim fiet, ut cum eruditiores, tum probiores maximo vel privato, vel publico bono quam facilè evadant. quod si obtinuero, magnum me suscepti laboris fructum consecutum esse arbitrabor.

CAPUT II.

Ut mos sit Indis quotannis die regi natalitio, illum ponderare: quo id apparatu fiat, atque illius immensa diuitiæ describuntur.

Cùm vergente ad Vesperam die, aliquantulum nimii sese calores fregissent, me Quinctius, & Lucilius adeunt: ingressique cubiculum: Quid tantum, inquit Quinctius, in Musæo hoc tuo sedens ad mensulam istam quà lectitando, quà scribendo carthis impallescis? nimio tu certè studio, ac tuis istis versiculis mortem

tem antevertes. Cui tum Lucilius: Ne, quæſo, Quinctì, hoc illi des vitio: nam etſi hujuſmodi veneno fatum præripiet, non ſanè totus morietur. quod quidem illis accidit, qui nullum ſui monumentum poſteris relinquunt. Et ille: Jam id conſecutus eſt, ut poſt mortem in elucubratis hactenus operibus, quam diutiſſimè vivat. quid igitur opus eſt, ut magis adhuc, magiſque defatigetur, ſeſeque interimat? id verò ſine piaculo haud quaquam fiet. ſiquidem parùm intereſt, ſi quis ferro, aut calamo ſibi necem conſciſcat. Utinam ad manus mihi eſſet ſpeculum, efficerem profectò, ut ipſemet ſuis oculis inſpiceret, quam macilentus ſit, quam pallidus. Cui tum ego: Quam bellè, Quinctì, quam diſertè agis cauſſam tuam. Tum mihi ille: Quorſum iſtuc? non enim intelligo. Et ego: Dicam planè, & apertè: non tibi cum Muſis erudita ſunt otia. At Quinctius: Itane tu me negligentiæ accuſas? attamen fateor: nolo enim, ut tu facis, ante diem conſeneſcere. Surge tandem, & nobiſcum deſcende in hortulum, ut motemus tantiſper corpus, ac ſalubriores auras capiemus; iſtic enim aër tibi certè perquã noxius. Surge, age, neque velis quaſi claudus ſutor ſedere hic totos dies. Tum Lucilius: optimè Quinctius. age jam: laxamento tibi opus eſt, quippe defatigato. & inclinato jam Sole, ſalubris eſt deambulatio. Tum ego: quoniam re vera laborare mi caput præ nimia lectione cœpta verat, aſſurgo: aſſumptoque tantum pileo, cum baculo, ſoleatus procedo. Ubi verò in hortulum ventum eſt, illicò per Xyſtum, quod altæ, frondoſæque arbores obumbrabant, deambulare cœpimus. dum autem deambularemus, me Quinctius rogat, quot poſt meridianum ſoporem verſiculos concinnaveram. Cui ego: Haud equidem inſanire ſoleo poſt prandium: ſed variæ eruditionis librum lectito. ſic enim animum erudio, ca-

out

put non multum fatigo. At ille: laudo tuam iſtam conſuetudinem, quam ſtudioſi omnes imitari deberent. Sed cedo, quid eruditi perlegiſti? Tum ego: Perquam lepidam hiſtoriam de Indorum rege, quem quotannis, dum illius dies natalitius recurrit, ponderari mos eſt. quod ſi gravior, quippè pinguior, inveniatur, magna lætitia populum afficit. Hic Quinctius rei perridiculæ novitate perculſus; Vera, inquit, narras? an, ut poëtæ ſolitavere, fabulas comminiſceris? Cui ego: Veriſſima. virum enim ingenuum dedecet vel mendaciolum. Ille verò: ſi ita eſt, ut prædicas, quæſumus, ut hiſtoriam omnem, paucis eſponas. id ipſum ſcire Lucilius tuus vel maximè deſiderat. Cui ego: Faciam: & eo lubentius, quod hiſtoriæ, ſi repetas ſtatim ut lectæ ſunt, memoriæ altius inſidunt. accomodate igitur aures. rem ego feſtiviſſimam curioſè, diſtinctèq; narrabo.

Cùm anniverſarius dies appetit regi natalitius, hunc in modum ſolemnia parantur. primùm gratulationis cauſſa *conventus indicitur*, in quem purpurati omnes, ac nobiles, & quotquot id temporis prætores provinciarum regia in urbe ſunt. venire coguntur, qui abſunt, legatos cum muneribus mittunt. Conventu ad dictam diem jam indicto, regia adornatur hoc modo. Gemina atria regii palatii, quæ ampliſſima ſunt, atque altis circum porticibus inſtructa, extenſis deſuper velis cooperiuntur. quæ quidem vela holoſerica, heteromalla, purpurea, aureoque textili exornata ſunt. tantæ uero amplitudinis, tantoque auro ditia, ut trabes, quæ illa ſuſtinent, ſpeciem præ ſe malorum ferant. earum enim quædam ad quadraginta pedes attolluntur. Omnes duodequadraginta numerantur: longo hinc, illinc ordine ad unguem diſpoſitæ ab atrii foribus, uſque ad aulam domus regiæ. Quæ proximè aulam aſ-

ſur-

ſurgunt, aureis laminis, argenteis reliquæ conveſtitæ. bracteæ minimè tenues, ſed Romano centuſſi craſſitie ſuppares. funes, qui trabes obfirmant, ut in neutram partem inclinentur, è goſſypio torti, variiſque coloribus peregrinum in morem fucati. Hujuſcemodi tectum holoſericum tum ad arcendos Solis radios, qui ibi calidiſſimo, nocentiſſimoque æſtu repercutiuntur; tum ad oſtendendas perquam maximas regis illius opes, ac divinam penè magnificentiam, ſtudiosè inſtruitur.

Prætereà in altero atriorum duo ſeorſim tentoria, ad dexteram unum, alterum verò ad ſiniſtram, adornantur. in primo, dum rex ſolio aſſidet, cantrices toto regno conquiſitæ, ac barbaricum in morem graphycè ornatæ ſaltationibus, canticis, moduliſque muſicis regi natalem gratulantur, cœtumque univerſum feſtiva hilaritate demulcent. In altero Præfectus Prætorio cum armatis nobilibus, quibus regii corporis cuſtodia commiſſa eſt, ſtationem habet. Iſthæc verò tentoria ex holoſerico amphimallo criſpante aureo cum limbo texta purpuraſcunt. In idem atrium triginta equi adornati ad ſpeciem magnifico ornatu inducuntur: atque hinc, inde in duos verſus diſtributi collocantur. qui è regiis ſtabulis non cujuſmodicumque, ſed lectiſſimi quique educuntur: nimirum probi coloris, nitidi villi, robuſti corporis, quadrati, pectoroſi, erectis capitibus, longis, denſiſque jubis. illis verò ſingulis bini ephæbi miniſtrant. qui & ipſi Phrygiis tunicis mira concinnitudine perornati fulgent. Hic Lucilius, ut ei interpellandi mos erat: Cujuſmodi, inquit, equorum ornamenta? Cui ego: Mane, iſtuc ibam. Aurea illis fræna intermicantibus mixtim adamantibus, pyropis, ſmaragdis, atque unionibus ditiſſima: ut non tam aurum, ut de ſolis equis poëtę fabulantur, quam gemmas mandere videantur. in armis pro ephippiis pulvinos ge-

gestant cingulis religatos; utraque ex serico villoso crispante, auroque textili concinnè elaborata. assulæ, quibus cingulæ subnectuntur, è gemmis encausto in auro affabrè compactis præfulgescunt. è singulorum collo vel gemmeus globus pendulus emicat, vel insignis nitet adamas, vel radiat pyropus. Soleæ absolutissimo ex auro, aureis item clavis affixæ. atque hic atriorum apparatus est. Hoc loco Lucilius: Haud equidem vel magnificētius, vel accuratius adornari atria potuissent Cui ego: Verum quæ hactenus exposui, vulgaria sunt, ac velut operis rudimenta: obstuperes porrò, si cogitatione mecum ex atrio vicinam in aulam ingrediaris. Et ille: Perge, ut cœpisti. at quia attento opus est animo, sedeamus sub quercu illa, cujus extenti in orbem rami latè solum inumbrant. Tum ego: Sedeamus: si tamen Quinctio grave futurum non sit: scio enim illum ambulatiunculis plurimum delectari. At Quinctius: Imò rogo, ut lubeat sedere: non enim sum tam inurbanus, ut eo graver, quod vobis placere sentio. Igitur ut sedimus, statim ego ab ultimo narrationem repeto, & longè prosequor in hunc modum.

Adornatis jam atriis eo, quem diximus apparatu, aula non minori studio, sed longè majori magnificentia, istruitur. hæc triplici è latere amplissimis foribus patet: præcipuæ in atrium spectant. quod totum ex illis conspicuum est. Regia enim domus, ut Orientalibus populis mos est, in ipso solo ædificata in plures contignationes non assurgit. illius pavimentum è pretiosis lapillis sedula opera tessellatum: tectum mira concinnitate, ac magnificentia fabrè laqueatum: siquidem cedrina, cupressinaque imposita laquearia: & partim cælato auro ornata, partim inculptis signis distincta, partim mirabili colorum varietate elegantissimè picta. parietes Attalica peripetasmata non minus opere,

quam

quam auro pretioſiſſima contegunt, quæ quidem partim belluata, partim conchyliata ſunt. Media in aula regius thronus eſt, quo nihil in quoquo genere neque opulentius eſt, neque præſtantius. in illum enim non tam plurium regnorum, quam totius Orientis opes videntur multorum annorum opera congeſtas eſſe. incredibilis quippe multitudo eſt, atque inſatiabilis varietas. illius figura ſimilis eſt lectis noſtratibus, quos, cum iterfacimus quietis cauſſa circumferimus. quatuor latus eſt pedes, ſex longus. quatuor columellis ſuis ſtylobatis innixis ſuſtentatur. quatuor aſſeribus tranverſis, ac rectis ſeſe angulis excipientibus, componitur. ſuper utramque ſpondam, & pluteum (eo enim latere, quo in atrium vergit, apertus patet) duodecim columnæ aſſurgunt, quæ throni teſtudineatam umbellam ſuffulciunt. inferiores columellæ, quæ quaſi fulcra tabulatum ſuſtentant, grandiores ſunt, altæque digitis quinque, & viginti: ſpondarum aſſeres duodeviginti patent. tum columellæ cum ſuis ſtylobatis, tum aſſeres auro obryzo partim cælato, partim encauſto picto conveſtita ſunt. aurum adamante plurimo, pyropo, atque ſmaragdo diſtinctum. In medio ſingulorum aſſerum grādiuſculus pyropus quatuor inter adamantes, in crucem poſitos, quaſi Sol ſuos inter planetas per quam excitatiſſimè fulgurat. complurieshujuſcemodi cruces per totam aſſerum latitudinem viſuntur hoc ordine: aliæ medium adamantem, circum ſmaragdos habent: in aliis ſmaragdus medius eſt, nitidiſſimi circum prælucent pyropi. ante thronum gradus quatuor, per quos aſcenditur, aſſurgunt. qui auro pariter abſoluto veſtiuntur, ac pyropis, adamantibus, ſmaragdiſque arte mirabili, pulchro ordine palis, perq; æqua ſpatia commiſſis, exornantur. quin etiam tum in lecti ſpondis, tum in gradibus nivei uniones affabrè

auro

auro coagmentati, perque certa disposiți intervalla, ut varias figuras exhibeant, pulcherrimè candicant.

Verum supra admirationem omnem, omnemque fidem duodecim sunt columnæ, quibus testudineata throni umbella imposita est. in illis enim quidquid unionum Persicus sinus habet, quidquid nutrit Oceanus, quidquid Oriens totus, coadunatum videtur. incredibilis profectò illorum copia, & varietas est. quibus columnæ non discriminatim ornatæ, sed undique convestitæ sunt. obrutus enim artifex multitudine, nulla arte, nullo ingenio distinxit. nec sanè arte opus erat, quando ipsa materies suis se commendabat, opibus, sua exornabat elegantia. Umbellæ concava (mitto convexa, quæ licet holoserica, auroque intertexta, vulgaria censenda sunt, si cum concavis componantur) tota ex adamantibus coruscant, ex unionibus candicant, rutilantque auro intermixto, quo nempe inter sese, suisque in fundis copulatæ sunt gemmæ. pensilis umbellæ ala, quæ zona est tota exaluminatis unionibus intertexta, universum illius ambitum complectitur. umbellam cœlum verius diceres tot distinctum stellis, quot gemmis; tot perspicuum luminibus, quot radiis gemmarum.

Sed jam, ut reliqua habeatis, contendam. In quatuor umbellæ angulis, totidem pavones supereminent, caudis erectis, atque expansis. quæ è cæruleis sapphiris, aliisque pretiosis lapillis contextæ nativos harum avium colores non imitantur modo, sed superant. E singulorum pectore pyropus emicat, ex quo elĕchus (unio est instar pyri) suspensus pendet: è dextra, lævaque singulorum pavonum gemini florum fasciculi ex auro encaustică picto, gemmisque compositi perpetuam veris imaginem repræsentant. In ipsa throni fronte quà contra atrium spectat, magnus gemmarum prominet

cu-

cumulus, ex quo adamas grandiusculus circum pyropis, atque smaragdis, minoribus veluti stellis, redimitus, pendulus intermicat. insignem hunc gemmarum aceruum pretiosum per quam pretiosi operis diceres indicem, regiæque magnificentiæ splendidum argumentum. Ità verò collocatus est, ut cum rex solio insidet, illi oculos, pretiosi instar velaminis, obtegat. In strato tria insunt pulvinaria, vel Phrygio opere, vel gemmis insignia: majus ad regis humeros, ad latera reliqua collocantur. ab eodem throno appensa pendent Acinacis, arcus, pharetra suis jaculis onerata, & parmula. cuncta tum opere, tum auro, & gemmis illustria. Non procul à solio geminæ eriguntur umbellæ è serico villoso purpureo Phrygia acu interpicto: quas circum fimbria ex unionibus pendet. manubria octo pedes alta, unione item plurimo, pyropo, atque adamante interdistincta.

Hic Lucil: Magnum est quidem, quod narras, atque haud scio an maximum. quippe difficile admodum est in universo terrarum orbe quidquam vel opulentum magis, vel splendidum reperiri. Rectè extimas, tum Quinctius. quin miror quomodo tantum aurum, tot, & tam variæ gemmæ comparari potuerint. credo equidem nec Porum olim, nec Midam tantas in unum opes congessisse. Quibus ego: Atque audite: intelligetis porrò quantæ sint Indorum regis opes: qui procul dubio regum omnium quam ditissimus. Post thronum hactenus descriptum, alter est instar ovatæ pelvis, quo lavari reges consueverunt; atque ob id extensam desuper umbellam non habet. quinque patet pedes, septem excurrit. vas interius ex auro obryzo crispante, exteriora gemmis, nescio, ornata ne dicam, an onerata. illas enumerare supersedeo, ne sermo sit benè longus; & jam dies defit. Præterea altera in aula

pari

pari magnificentia, parique elegantia adornata (alterum hæc ſpectat in atrium) quinque alii minores throni ſplendidiſſimè, baſilicè, fabrèque ornati, inſtructique ſunt. quatuor in totidem angulis poſiti quadratum efficiunt. quintus in medio, ſed paulò ſupra, quam eſt quadrati centrum, locatus eſt. adamantibus fere omnes aureis in bracteis ſcitiſſimè compoſitis præfulgeſcunt. illorum curioſam deſcriptionem omitto, ne vobis moleſtus sim. res enim, quamvis pulchræ, pretioſæque ſint, ut verè iſtæ ſunt, tamen ſi eædem ſemper in obtutum cadant, faſtidium creant. Tum Quinctius: Sic eſt, inquit, ut dicis. verum age, quantam, putas, pecuniam impenſam fuiſſe ad tot gemmas comparandas? Cui ego: Iſtuc dicturus eram. refert auctor, qui iſthæc omnia & oculatus inſpexit, & curioſus perquiſivit, in throno, quem paulò ante deſcripſi, exornando, numerata fuiſſe quadrigenties octogies centena millia Romanorum centuſſium. idque ex regiis tabulis, in quibus ſingularum gemmarum pretia diligenter ſcripta ſunt, accurato calculo collegiſſe. Tum Quinctius: Si ità eſt, ut prædicas, hujuſce regis opes immenſæ ſunt, & ſupra quam cuique credibile eſt. At Lucilius: Perge porrò: hiſtoria nobis accidit jucundiſſima, & ut conjicio, feſtivior pars ſupereſt. Cui ego: Imò feſtiviſſima. advertite vos igitur animum: ego efficiam, quod inſtitui.

Ut fauſtus, fortunatuſque dies regi, regnoque illuxit, purpurati omnes, & quotquot equeſtris ſunt ordinis regium in atrium conveniunt. plebs ſtat pro foribus. quamquam qui longè primi ſunt multitudinis, interdum vel Præfecti Prætorio, vel purpuratorum favore intromittantur. Deinde auream ſtateram (non enim fas eſt regum corpora ferrea ponderari) monolancem, aureo cum æquipondio præ aulæ foribus ſerico func purpureo, floccíſque aureis inſignito, ſuſpendunt.

cunctique in certos ordines distributi regem opperiuntur. Qui tandem talis egreditur è gynecæo vestium tum elegantia, tum opulentia, ut nihil possit accedere. Corona uno insignis fulget adamante; sed qui complurium instar gemmatum est. quippe qui maximus,ac pulcherrimus omniũ, quotquot hucusq; natura produxit, atque ars elaboravit. Ut primùm conspicitur, accurrunt illicò nobilium primi, atque illum more patrio venerantur. ter cernui extensis palmis terram tangunt, totidemque attollentes capiti imponunt: atque isthæc fermè verba pronunciant. Sospitent Dii regem, plurimos dent annos, splendidosque ex hostibus triumphos concedant. Posteà verò summo tum studio,tum veneratione, ac si sacra attrectarent, manibus accipiunt, inque lancem auream ponunt: & quot libras pendat exactissimè trutinant. Quia verò innata aulicorum animis adulatio, semper justo ponderi aliquid superaddunt. regemque plus, quam elapso anno ponderare pronunciant. Irà enim natura comparatum est, ut humanis in rebus momentum addat vel assentatio, vel benevolentia: detrahat verò vel ira, vel invidentia. Quod per præconem ut populo renunciatum est, confestim omnes lætis acclamationibus novum regi incrementum gratulantur: cunctaque in futurum annum festa,ac fausta precantur. Interea jidem viri principes lance regem extrabunt: atque iterum venerati, singuli in suos ordines se recipiunt. ille in solium ascendit,sedetque more patrio: nimirum in ipso throni strato, incurvis cruribus, humerisque pulvino innixis,non verò regia in sella,ut nostri consueverunt.

Hac prima fabulæ parte absoluta (quæ quàm digna majestate regis, non disputo,festiva quidem certè) altera sequitur,quæ nescio, an magis honorifica regi sit, quam utilis. Purpurati omnes, ac nobiles certo vel di-

dignitatis, vel ætatis ordine ad regium ſolium accedunt,& eo,quē ſupra diximus, more adorant; munera-que illi offerunt,quam munificentiſſima. idem mox faciunt per legatos, & præcipuæ matronæ, & præfecti provinciarum. Hoc loco Lucilius me de more interpellat: Cedo, quæ ſint ea munera? Cui ego: Gemmæ omnis generis, nimirum adamantes,pyropi,ſmaragdi, Amethiſti, Sapphiri, uniones, aliaque hujuſcemodi. præterea aurum, atque argentum,tum factum, tum infectum,ditiſſimi tapetes. Attalica periſtromata,aurea, textilia,veſtes Phrygiæ: purpuræ item,ac panni ex Ibericis lanis texti, cameli, elephantes, atque equi generoſiſſimi. Hic Quinctius: Quam bellè, inquit, novum ætatis annum Indorum rex auſpicatur: die nimirum tam fortunato,atque opulento,quam qui maximè. diceres illum quotannis Mercurio aſcendente, dicam verius, negotiante, renaſci. Ità verò, tum ego. quippe tot ex uno hoc die proventus capit, ut non plures accipiat ad multos menſes. ferunt munera extimari nonagies centena millia. Quocirca mirum certè non eſt, ſi regius theſaurus immenſis penè divitiis refertus ſit. quemadmodum enim omnia flumina in mare confluunt perpetuò curſu; ità cunctæ divitiæ,quæ in vaſtiſſimo complurium proviuciarum imperio ſuut, in regis gazam iſtiuſmodi alveorum ductu continuò ſublabūtur. ſed pergam ad cætera. Ut nobiles omnes regem venerati, ●que oblata ſunt munera, ſeptem elephanti ducuntur in atrium, ut & ipſi regem adorent. optimi omnium ſeliguntur, & præ reliquis magis eruditi, ac pugnaciores habiti. qui ſericis dorſualibus diſcoloribus, pictiſque opere Phrygio ſplendidiſſimè præfulgent. collis aureis catenis ad ornatum redimiti verius, quam ad ſecuritatem revincti, Ut vel in ipſa ſervitutis ſpecie niteſceret magnificētia. illorum unus, qui alios,

vel elegantia corporis, vel animi docilitate antecellit, turriculam dorso impositam cum sella eburnea gestat: qua rex sedere solitus, cum vehitur elephanto. quatuor hominem in clune gerunt, qui regium vexillum breviori hastæ alligatum manu tenet. Ut in atrium deducti, statim singuli ita solio admoventur, ut ad quadraginta passus distent. quò simùl ac veniunt, regem illicò adorant, homines ipsos æmulati, hoc modo: ter proposcide terram lingunt, totidemq; elevãtes supra caput circumducunt: singulis vicibus magno clamore vociferantur, tubas imitati. diceres regem salutare, precariq; felicitatem. ubi verò debitos regi honores præstiterunt, statim clunes convertunt. tum qui illorum curam habet, stragulam vestem elevat, cluneſque nudat, ut quàm pingues, quàm carnosi sint, rex animadvertat. perridicula sanè consuetudo, in qua vel ipsi in regem observantiæ aspersa est barbaro more barbaries. His hoc modo peractis, cantrices canticum ordientes, varias cantilenas in regis laudem concinnatas musicè decantant, atque illas multiplici saltationum genere comitantur. quam scitè corpora in varios motus jactant: varios orbes decircinant: nunc sibi mutuò occurrunt, nunc fugiunt: nunc sinistras prænsant, nunc dexteras: nunc gyro sese implicant, nunc explicant: & multiplici vel brachiorum, vel digitorum flexu carmina gesticulantur. tandem cantico desaltato, rex gynecæum ingreditur.

Hæc ut narravi, repentè assurreximus; inque subdialem ambulationem reversi sumus, quà deambulare iterum, ac frigidiusculis auris recreari cœpimus: & tandiu ibi morati sumus, quoad contenebravit. tum demum perpaucis passibus domum redivimus.

CA-

CAPUT III.

Orientalis Surrenti ora deſcribitur: & unde tanta in gubernaculo vires, explicatur.

SEceſſerat mecum in Surrentinum, Auguſto menſe ſub Virginis diem feſtum adoleſcens quidam ingenuus, Auguſtæ Taurinorum pulcherrima in urbe natus: qui patrium cœlum valetudinis cauſſa, noſtro commutaverat. ſperabat enim hac ſaluberrimi aëris temperie ſe priſtinas vires recuperaturum. nec omninò ſpe ſua fruſtratus eſt: nam etſi non ex integro convaluit, verumtamen meliuſculè ſe habuit: quippe qui ex longo adverſa affectus erat valetudine. morbi enim, quicumque ſint, cum diuturni fiunt, difficilè admodum curantur. Quia verò tum ob egregiam indolem, moreſque candidiſſimos, tum quia ſolitus ad me ſtudiorum cauſſa ventitare, mihi erat perquam charus; idcirco volui amicum *juvenem in elyſium* meum deducere, ut ibi Surrentino cœlo, quo nullum eſt clementius, tandem perfectè convaleſceret. Cum igitur quodam die ſub Auroram in ſcopulum ex hortulo deſcendiſſemus, conductam ab heſterno die cymbam ingredimur: perque orientalem oram Vicum Æquenſem verſus iter afficimus. lentè quidem, ac ſuſpenſo remo, ut placidiſſimi tranquillitate maris, atque amœniſſimæ oræ proſpectu abundè frueremur.

Eſt autem Surrenti ora, quæ dimidii ſpeciem præ ſe arcus ferens, ad orientem Solem cõvertitur, primo manè, quam maxime amœna, & vel ad ſalutares auras carpendas, vel ad animum relaxandum perquam commoda. ſiquidem eminentibus circum collibus adumbratur, ut nonniſi ad multam diem illuſtretur à Sole.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

colles longa virentium arborum corona præcincti diutius Solem arcent, temperiem fovent, otia promovent, ac pulchra oculos scena suspensos tenent. Præterea jidem colles non acclines clivo, sed erecti, turritique à mari assurgunt, specubus plurimis tractim excavati, atque interciſi. quas quidem specus partim hominum industria factas, arbitror, partim vi, atque injuria sibi mare aperuisse, partim ludentis opus esse naturæ. in quasdam aditus phaselis patet, in quasdam verò minoribus cymbis. ubi ingressus fueris, frigidulus aër, fragans musci vernantis odor, quem herbidæ cautes exhalant, perlucidi, placidique fluctus, atque ipse pendentium saxorum horror, mirèque varians in singulis situs, mirum sanè quantum animos recreet, ac sublevet. Ubi collis, abscissis hac, illac rupibus, à summo vertice ad imum usque vestigium interciſus, prospectu mirabili, variante veluti scena, vel pascit oculos, vel delectat animos. In speciem caveæ sinum mons aperit, inflexusque in helicem sensim coarctat, totumque mari pervium facit. pendentibus hinc, illinc ambitur scopulis, supra arboribus coronatur, medio vestitur fruticibus, æquoreis imo herbulis amicitur: atque interdum labente desuper rivo submurmurat. Pulchra quidem scena, atque haud scio, an melius illam variare natura potuisset. Non desunt extenti per oram sparsim scopuli, partim nativi, partim ex fatiscente præ vetustate monte collapsi. habent enim vel saxa ipsa senectutem suam, quà sensim labascant. qui scopuli herbosi & molles, & quà hærentibus echinis distincti, quà discoloribus conchis interpicti, pulcherrimi visu, amœnique sunt. Horum unus è medio mari altissimum in conum fastigiatus assurgit: pharum diceres, quæ toti oræ ad speciem præluceat. Tractim etiam prominentibus hic rupibus, sese mons porrigit: cedentibus ibi, reducit,

com-

commodumque oræ locum concedit: nempe ut sit acceſſibilis, placeatque varietate. Quæ præaliis exporrecta magis prominet rupes perforata utrimque eſt, marique pervia: quà ſubterraneo veluti iſthmo perfoſſo, ex uno in alterum ſinum breviſſimo compendio pertranſitur. luſeritne hic etiam natura, an ars inſudaverit, an ſævientis ſit opus maris, ut crebra undarum verberatione deſæviens, rupem perfregerit, ſibique aperuerit, incertum eſt. Ita verò terebrata rupes eſt, ut ex adverſum ſpecus reſpiciat Pompejos. hinc rupem ſubeuntibus videre licet urbem in conſpectu ſtatim apparentem, ac veluti manu prenſari. ut accidit, ubi deductis derepentè ſcenis, illicò nova, ac inopina rerum facies ſeſe oculis offert. quod ſanè perquam jucundum viſu eſt. atque hinc facilè animum induco, ut credam tam mirabilis operis artificem fuiſſe naturam. quippe quę non temerè, ut caſus, ſed conſultò operatur. in hominum enim vel oblectamenta, vel commoda tota imminet. Tandem talis eſt Surrenti ora, quà Orientem, quà Occidentem ſpectat tum amœnitate, tum pulchritudine, tum etiam temperie, ut nihil ſit omnino, quod poſſit accedere.

Dum igitur per amœniſſimam hanc oram Taurino cum adoleſcente deveherer, ut aliquam pererrando delectationem aucuparer, advertit ille velificantem Stabiis celocem, quarum plurimas Surrentum habet. quæ cum tam prope à litore fuit, collectis quam citiſſimè velis anchoram jecit. Hic juvenem cupido inceſſit celocem inſcendere: meque rogat, ut annuerem. Ego, cum nihil antiquius habuerim, quam amicis morem gerere, & haud gravatè ferre, quod illis placere cognoviſſem: Aſcendamus, inquam, mihi enim vel id quadrat. Statim igitur celocem conſcendimus, totamque curiosè luſtramus. Cum verò juvenis in puppi temonem

animadvertiſſet; Doce me, ſodes, inquit, (iſthæc enim tui ſunt inſtituti) qui fiat, ut perexiguum iſtud gubernaculum, univerſam iſtam navigii molem regat, & quaquaverſus, ut gubernatori expedire viſum, tam facilè verſet. hanc enim ego Sphingem cum internavigandum quamplurimis præſtitiſſem, nemo unus mihi Oedipus fuit. Scilicet ea, quibus aſſiduitate quotidiana,& conſuetudine oculorum aſſueti ſunt animi,admirantur perpauci, requirit nemo. Cui tùm ego: Recipiamus nos in cymbam, domum reverſuri, ne nimio Sol æſtu nos torreat: viden' quam altus eſt? mihi verò, ut te non præterit, nihil accidit acerbius, quam ſi dolear à Sole caput. rem inter redeundum explicabo mox. Et ille optimè tu quidem mones. Gratias igitur quamplurimas navarcho agimus, quod nos benevolè excepiſſet: rogamuſque, Numquid domum vellet? ſtatimque in cymbam inſilivimus.

Cum verò navicularius verſoriam ępiſſet, ego ad juvenem, faciam tibi nunc ſatis. Et ille: Tam id mihi gratum erit, quam quod maximè. Ego verò: Etſi mihi perquam difficilè ſit, ſine figuris Mathematicis poſitum à te nodum ſolvere; verumtamen diligenter contendam,ut rem quam dilucidè potero,exponam,atque aperiam. Duæ ſunt in temone partes, quas ſcire te primùm velim, ut deinde, quæ ſubjungam, facilius intelligas: clavus nimirum, & gubernaculum. Clavus eſt lignum illud,quod preſſius temo dicitur. cujus partes ala, & collum. ala inferior pars incurva, quæ apratur, hæretque carinæ,quæ repanda cum ſit, idcirco & illa repanda pariter confecta eſt. collum ſuperior,quæ gubernaculo inſeritur, ut verſari poſſit. In alæ curvatura ferreus circus eſt, in collo uncus affixus: duobus hiſce, qui totidem puppi præfixis excipiuntur,navi clavus adnectitur. Gubernaculum eſt aſſerculus ille verſo-

rius,

rius, qui foramine oblongo excipit clavi collum: & quo gubernator dextrorsum, siniſtrorsum, quà vel ventus, vel curſus petit, clavum inflectit. tenes iſthæc? Et ille: Teneo enimverò. ſiquidem planè expoſuiſti. perge porrò. Cui ego: Diligenter attendito: paulò difficiliora captu ſunt, quæ ſubjiciam. dicam tamen quam maximè ad facilitatem accomodatè. Et ille: Advertam animum quam poſſum intentiſſimum. Tum ego: Duo ſunt, quæ in temone admirationem pariunt: primum, quod gubernator nullo negotio gubernaculum circumducat, atque occurſantis aquæ impetum vel ſuſtineat, vel frangat. ſecundum, quod clavus, ubi gubernaculum circumductum fuerit, totam illicò navem contorqueat. utriuſque in præſentiarum invenienda eſt cauſſa.

Vidiſti fortaſſe compluries (res enim uſu trita eſt) tum grandia ſaxa, tum marmora moveri vecte, & quam facillimè elevari. Tùm ille: Vidi ſæpiſſimè: quin imò, illo non ſemel uſus ſum, ut obſeratas fores, quarum clavem amiſeram, toto cardine demolirer. Benè eſt, tum ego: rem hinc facilè aſſequeris. Gubernaculum quaſi vectis eſt, qui clavi collo, ſuo veluti fulcro innititur. cum verò ea vecti vis inſit, utillo vel digito conniſus, ſaxa diffindas, pondera moveas, muros aperias, & robuſtiſſimos quoſque cardines dejicias: nihil admodum ideircò eſt, cur mireris, ſi gubernaculo, quaquà velit gubernator temonem circumducat, atque irruentium undarum æſtui quam facili negotio obluctetur. Hic juvenis: Iſtuc jam habeo: ſecundi cauſſam expecto. Cui ego: Jamjam me ad illam convertam, & paucis etiam, ut modò præſtiti, explicabo: id enim temporis eſt, ut properandum cenſeo. Fac igitur obliquè puppim clavus reſpiciat: ſitque converſus ad dexteram: in quam, ubi ad ſiniſtram verſorium gubernator inſle-

xe-

xerit, illicò aget ſeſe ille: navis vel remigio acta, vel velis, prorſum, quò iter inſtitutum ſit, prætervolet. Tùm clavi ala, quà patula eſt, in aquam offendit: inque illam viciſſim aqua: ac ſpumoſo velut ariete continuò pulſat: cum verò verſare nequeat (nempe obſiſtit verſorio gubernator adniſus) navem totam una cum clavo eam in partem, quà dirigit impetum, ſtatim cõvertet. atque iſthæc, quam petebas, ratio rei eſt. Hinc verò planè, & apertè conficitur, tum facili negotio navim inflecti, cũ ſecundis auris velificans, quam citiſſimè currit. quippè ocyus occursãtem in ſeſe clavum majori impetu æſtus diverberat. quamquam opus tum ſit, ut majori etiam vi gubernaculum rector ſubſtineat, ut aquæ in palmulam irrumpenti fortiter obſiſtat.

Hæc cum dixiſſem, Intellexi, inquit, juvenis, cuncta perſpicuè. quæ cum tuos olim verſiculos lectitarem ægrè concipiebam. In quibus, quoniam unum eſt, quod velim explices, liceat per te mihi illos recitare. Cui tum ego: Si memoria tenes, penès te eſt, ut recites. Ille vero: Teneo quippè. ſtatimque recitavit.

Sedulus interea conſidens puppe Magiſter
Intentus clavo, clavoque immobilis hærens,
Stet promptus torquere manu retinacula; quà ſe
Ventus agit veniens, curſuſque, & Sydera ducunt.
Omnis, & in clavo docti ſtet cura Magiſtri.
Ac veluti loris currus auriga volantes
Hac, illac, quà poſcit iter, curſuſque viarum
Inflectit, varioque volans terit æquora gyro.
Non aliter curvo Rector temone carinas,
Quà ventus, curſuſque vocat, reget æquore vaſto.
Si dextrà errandum pelago, de puppe Magiſter
Impiger ad lævam inflectat cita lora: ſed illa,
Si plaga terrarum fuerit luſtranda ſiniſtra
Torqueat in dextram, ſi rectus in æquore curſus,

In

In medio Palinure loca retinacula puppis:
Nam ſic directo celeri vada concita lapſu
Alnus arat. Tortas veluti quà flexit habenas
Excelſo inſidens curru moderator equorum,
Quadrupedes docti ſtrictis parere lupatis,
Incedunt, promptique terunt iter: aerea puppis
Haud ſecus, incuruum quà flexerit ipſe Magiſter
Temonem, cita carpet iter, fluctuſque ſecabit.
Exigua nam mole licet ſtet puppe ſub alta
Adniſus gemino circum verſatilis unco,
Attamen aratas magna cum mole carinas:
Hac, illac contra, Pelago obluctante, retorquet,
Quà ventus, curſuſque vocat, quaq; ipſa petit res.
Ferreus ipſe velut par vo cum corpore vectis.
Marmoraque, lapideſq; atque alta mole columnas
Submovet, & grandes ſcopulos, rupeſque revellit.

Vix dum recitandi finem fecerat. cùm illicò ad me: Si læva iter inſtituendum eſt, præcipis temonem converri ad dexteram, cujus contrarium à te modò dictum eſt. idemque in eiſdem verſiculis doces

Incuruum quà flexerit ipſe Magiſter
Temonem, cita carpet iter.

Tum ego: Duæ, ut pronuper admonui, in temone partes, gubernaculum, & clavus: cum lora, dico, vel retinacula, gubernaculum intelligo. iſtuc autem contrariam in partem circumducitur. Hic ille: Nihil eſt, quod amplius te vexes, eſt enim res & paucis expoſita, & explicata dilucidè. Sed jam navicularius ad ſcopulum cymbam applicaverat. quocirca exilientes domum proficiſcimur.

CA-

CAPUT IV.

Elegans convivium adornatur, variorum ferculorum conficiendorum ratio traditur: post convivium carmen de tormento bellico recitatur: & apud quas primum gentes illius usus fuerit, inquiritur.

CONvenerant in Surrentinum post nonas Augusti complures viri eruditi; quidam, ut me invisérent, ac præsentes præsenti salutem dicerent: quidam, ut loci genio perquam amœno tantisper fruerentur: nonnulli verò, quibus cutem curare studium est, ob vitulam lactentem, quæ Surrenti tam delicata est, ut nihil supra. Ego, etsi plurimi, & quisque suam umbram haberet, tamen omnes convivio excepi: sed mensa satis frugali, & quæ à sapientibus viris non abhorreret. nec sanè lautam exhibere si voluissem, locus necessaria suppeditabat: neque domi mihi coquus erat, neque pistor, qui edulia scitamentis variis præpararent.

Cum ad amœnissimum maris prospectum sub umbra consedissent, tum ego: Hic vos, inquam, si placet, aliquantisper confabulamini: nisi potius vobis sit cursare per hortulum; nempe brevi ambulatiuncula stomachum acuatis. dum ipse interea, vestra venia, coquus idem, idemque pastillarius breve vobis prandium cum puero adornem. Hic illorum quidam, ut junior, sic nasutior (ita enim præsens fert æras, ut juniores sint nasutissimi, carpunt, cavillantur, nodum, ut dicitur, in scirpo quærunt: gulæ serviunt attentissimi, nec nisi plurimo ferculorum apparatu, eoque exquisitissimo contenti sunt) Mathematicum, inquit, historicum, poëtam, & quidem non malum, linguis item eruditum

te accepimus: at coquum, pistorem nunquam omninò. quare vereor, ut prandium sit elegans, nam benè sobrium desidero. Cui tum ego subridens in stomacho, & caperata nonnihil fronte: Hanc in me curam depone, dicaeule. verum bliteus cum sis, nonne elegantissimum esset prandium, & perquam dapsile, si meram tibi betam apponerem? dignum profectò esset patella operculum. Sed bono sis animo: nolo enim par pari referre. scio oppidò frigidulis te ficis quam maximè oblectari, ut illas vel ambrosiæ præponeres. etenim te Neapoli sæpenumero de promo conquestum audivi, & meritò quippè, quod cum frigidiuscula inferre in mẽsam posset, calidas præ pigritia subministraret. bono, inquam, sis animo, plurimus hic tibi ficulus & gelidus, & recens, quippè cujus adhuc niveum lac stillet è pedunculo, non deerit, quo vel uno famem sedare possis. Ille verò: Et gratias ago quam maximas, & quæso, ut mihi des veniam, si nimis festivè verbo prolapsus sum, atque pro non dicto habeas.

Hospitibus in pomario relictis, me domum recipio. accersitoque Lucilio, qui valetudinis caussa mecum degebat in Surrẽtino, jubeo aperto in loco juxtà subdialem ambulationem, ex quo jucundissimus Neapolim versus prospectus patebat, mensam instruere, & floscu-lis, ut festis diebus consuevimus, exornare. Me verò in culinam confestim capesso. inquam ingressus, mappula nonnihil attrita, ac sordida (mundam, ac resarcitam Neapoli nondum acceperam) me coquorum more præcingo, operique manus admoveo, & quidem impigrè. In primis, gallinaceos pullos, quos jam depilatos ad rem habebam, fictilem in testudinem svillo cum fumine conjicio: eosque cinnamomo, pipere, atque aromatico cariophyllo scitè condio: addo mox astaphidem, prunum, nucleumque pinecum. ubi verò incaluc-

luerunt, tantillum aquæ infundo, ut juſculum facerem ſuaviſſimum. tandem teſtudinem arctiſſimè concluſam ad tenuiſſimum ignem brevi in tripode relinquo. Deinde artocreas, cruſtula tum delicatiſſima, tum ſuaviſſima; quippè ex polline niveo attritæ Cereris, butyro,& ſaccharo, græco Herculano, ovique vitello ſubacta, adornavi. illud Chaoniis pullis, ficedulis plurimis, ac coturnicibus conferſi: addidique veteris petaſonis fruſta, & Nolani farciminis, cum pyro, & malo Appio indiſcretim permixtis, olivum item, & fungos cum citriis dulcibus,& cucurbitulis: ſparſique deſuper odoramenta quamplurima, atque aromata. confectum tandem in furnum à puero jam ſuccenſum,ac mundatum, piſtoria pala diligenter immisi: occluſoque præfurnio, ne calor evaporaret,ad alia me ſtatim edulia converto.

Ex molitæ Cereris flore tùm minuto, tùm niveo maſſam ſubigo frigida, aſperſo tantillum ſalis. maſſam verò ligneo cylindro æqua, ac polita in tabula in tenuiſſimas nebulas extendo: quas mox oblongas in tænias fruſtatim diſſecо. quæ dum tantiſper ad Solem ſiccarentur,ego caſeum non ovillum, ut noſtrates ſolitavere magno ſtomachi incommodo,ſed bubalinum(habebam recẽtiſſimum ab Acerrarum Domino viro amiciſſimo,& hominum,qui vivunt,liberaliſſimo,mihi dono datum.) in ſcrobem radula caſearia conteri jubeo, undique ſimul in piſtrino cinnamomum. cui mox tũſo ſaccharum permiſceo. Exin redeo ad nebulas Cereales,& efferveſcente aqua in cacabo, illas paultatim immitto, ac cochleari cribario verſo identidem, ne unam in maſſam coirent. Vix dum igne, qui plurimus ardebat, excoctæ ſunt, cùm, manubrio, utraque manu apprehenſo, cacabum è tripode extraho, humique colloco, ſtatimque frigidam infundo, ut latius excreſcerent, fierentque quam tenerrimæ. Quia verò

vel

vel labore, vel igne ſudaveram, mappula ſudorem omnem exicco. brevique è culina egreſſus frigidiores auras liberius hauſi. juvat enim occupato laborioſa in opera facere intercapedinem. tãdem iterum ingreſſus, in lancem grandiuſculam, tænias mitto, colata prius guttatim aqua cribario cochleari. poſtea verò permiſceo bubalinum ſcrobem cum ſaccharo, & cinnamomo, elixamque bovis medullam ſuperinfundo. plenam ſic lancem conjicio in hypocauſtum; ut ſenſim incaleſcerent, ac pingui penitus medulla, ſuccharoque ſeſe imbuerent.

His in hunc modum adornatis, lactentis vitulę lumbos perquam delicatos, ac pingues veru transfigo per adverſum, ignique admoveo aſſandos. jubeoque Fabiolum continuò verſare veru. rotam enim, quæ à cane ſolet circumagi, non habebam expeditam: neque mihi erat in promptu machina, qua fumo in alas incurſante, veru circumvolitur. vitulam, ut jam aſſari cęptaverat, ſale aſpergo, tandem larido ferventi veruculo præfixo benè imbuo, ac perfundo: ita enim, & ſucco gravida, & ſapida magis eſt. Poſtremò, ut præter ſpem, bonam prandio coronidem imponerem, quædam farta liba ex dulcibus conficio hoc modo. Similaginem, butyrum, ſalemque Indicum, cum tantillo noſtratis, ac duobus ovi vitellis frigida ſubigo. ſubactam poſt maſſam totidem in fruſta divido, quot erant convivæ. quæ ſingula cylindro extendo in circulos. in horum medietate dulcia jam tunſa cum medulla pinguiſſima ſuperpono: alteram circuli partem deſuper plico: facioque farta quaſi Lunulas pinnato limbo: qualis ſpectantibus nobis tubo viſorio, Luna apparet, cum eſt dimidiata. Accepta mox piſtoria ſartagine ſvillo adipe inũgo, imponoq; dulcaria. ſumpto poſt deinde infurnibulo, conjicio ſtatim in furnum. Elixam cum prototomis

cau-

cauliculis jam puer primo manè præparaverat. Etenim modici cibi homo cum ſim, iſthic meus tenuiſſimus, idemque ſimpliciſſimus cibus eſt. Odi profectò nimios illos apparatus: tot nimirum præſulſas, ſcriblitas, moreta, frixa, intrita, ollaria, fartilia: tot item intinctus, atque embemmata, eſcaſque conditaneas, & cęteras cupedias: gulæ irritamenta verius, quam nutrimenta. quæ quidem in ſtomachi perniciem adinventa ſunt. perquam paucis nutrimur, & quæ fames condiat, non gula. Iſthæc autem parſimonia apud veteres magna fuit: legimus enim lege Fannia primùm, poſtea verò Licinia cautum, ut ſumptus non excederet denos, vel tricenos æris.

Quia verò jàm prandendi tempus appetebat, diſcincto confeſtim lineo, ad amicos ire pergo. Vix dum ad primos ſuperioris deambulationis gradus veni, cum illos obviam habui aſcendentes ab horto. qui ſimul ac me vident: Eſtne, inquiunt, hora prandii, necne? Quibus ego. Eſt equidem. quocirca, quæſo, ut illicò ſedeatis, ne longiori mora prandiolum corrumpatur. jam Lucilius menſam inſtruxit, panemque caniſtris expediit: jam puer ficus è puteo, ubi ad frigus aſſeruantur, eduxit. Illi nihil cũctati, Sedeamus, inquiũt. Tũ Lucilius pollubrum ſiniſtra manu tenens, dextræ vas cum aqua ad menſam acceſſit, ut hoſpites manus lavarent. ego mundiſſimum mantile, ac villoſum porrigo ad tergendum. Lotis igitur manibus, hymnoque de more dicto, ſinguli eo, quo par erat, ordine, ſuis ſedibus accubuere. Exordium non ab ovo, ut vetuſtiſſimus mos eſt, ſed ut nunc fit, à ficis cum ſuaviſſimis tum frigidiſſimis factum eſt. erant Livianæ pinguiſſimæ, & cucurbitinę melleo ore, tenero cortice, pulpa non adeo molli; atque ob id mirum in modum placuerunt. Poſtea verò quam ficubus ſe liberius oblectarunt, pro primo

edu-

edulio pulli jurulenti appoſiti, qui quà teneritudine, quà condimento tam grati habiti ſunt, quam qui gratiſſimi. Poſt hos panis, carniſque edulium allatum, mediumque in menſam expoſitum tanta odorum fragrantia, ut non vulgare quid ſuboleret. ubi verò diviſum ſingulis, cruſtulamque tum tenerrimam, tum dulciſſimam primis amici labris deguſtarunt, tum ſtatim ad me: Itane tu nobis impoſuiſti? nullumne tu coquum, piſtorem nullum? nugas certè agebas. siquidem egregium habes; quippè principe, & quidem purpurato tuo digniſſimum. At ego ſubridens, ſerione iſthæc, an per jocum? quod enim laudatis, manus iſtæ piſtoriæ omninò rudes confecerunt. At illi: Si verum, quod prædicas, rudes ne dixeris, imò peritiſſimas. heus puer, infunde merum. sit helvolum illud Pausilypeum minimè fugax, quamquam delicatiſſimum: juvat tam docto artifici propinare. Sed jam cereales tenias cum vitula Lucilius apponi juſſerat. illas ego convivii Magiſter è majori lance in ſcutellas ingero, & ſingulas ſingulis ſubminiſtro. vix delibarunt, cum ad me. Allatæ ne tibi Neapoli ſunt? adeò enim delicatæ, ut nihil ſupra. Tum ego: Cujuſmodicumque ſunt, è noſtra officina prodierunt. illi vero: Ludis profectò. conversique ad Lucilium: Jocaturne, inquiunt, Parthenius? Ille verò. Minimè quidem. Quippè qui teſtis oculatiſſimus. Cumque vix & ægrè id ſibi perſuaſiſſent, elixam cum coliculis pueri attulerunt. Tandem pro ſecundis mensis, ut moris eſt, farta dulcia ſingulis ſingula diſtributa, quæ ob teneritudinem, ac ſuavitatem Attica veluti Bellaria omnem ſibi plauſum vindicarunt: voratæque vel cum ramentis. quæ cum à me pariter facta à Lucilio cognouiſſent, omnium ſuffragiis me coquum, ac piſtorem ſcitiſſimum conclamarunt, libaruntque liberius. Ego verò: Proh ſuperi! Hoc ſcilicet

licet unum meis laudibus deerat, ut inter myrtum litoream, laurumque Parnaſſiam, culinariam quercum inſererem.

Sed jam fame expleta, eruditis animum colloquiis, ut humanos viros decebat, paſcere incœpimus. nunquam enim illorum inſtitutum probavi, qui vel perridiculis nugis, vel fabellis anilibus, vel mittentes ridicula, animum non tam paſcunt, quam opprimunt. quapropter malam hanc conſuetudinem ab eruditorum virorum cœtu amandare, malumq;funditus averruncare vellem, ſi poſſem. Cum autem de Veſuviano incendio curioſam haberemus quæſtiunculam (erat enim in proſpectu Veſuvius, ambuſtuſque crater nonnullos fumi vortices,ac flammarum cuneos identidem evomebat) ſenior amicorum: Quid, inquit, de Bellicis tuis? an ex hoc incendio aliquid excerpſiſti? videtur enim perquam bellè aptari poſſe ad fulminalia. ita enim, ut ex te ſæpius audivi, Latini vocant hoc tempore ea tormenta bellica, quæ fulminis vice æreas pilas quam longiſſimè ejaculantur. Cui ego: Divinaſti prof. ctò. iſthæc ego & moveo, & curo. quique de Bellicis Tormentis eſt Liber, revocatur ad trutinam. Hoc loco omnes me rogant, obſecrantque, ut ſaltem Libri exordium recitarem. Ego etsi invitus (non enim adhuc luce dignum mihi videbatur, ut quod lima non dum raſum) tamen morem geſſi. & ut erat illaboratum habere cœpi hoc modo.

Nunc Martis tormenta, quibus vel prælia miſcens
Extentis tonat in campis, vel fervidus arces
Fulminat obſeſſas, & mœnia deijcit ictu:
Quam varia, & qualis ſit bellatoribus uſus,
Dicere nunc labor inſequitur. Vos ò mihi veſtros
Pandite, Cyclopes, dimoto vecte caminos;
Namque opis eſt veſtræ quæcumque effingere vates

Au-

Audaci aggreditur niſu. nova munere veſtro
Machina Tartareis eſt deducenda cavernis.
Machina quæ ferro, & Vulcani pulvere fœta,
Ignea rauciſonis accendat prælia bombis.
Aſt artes primum antiquas dediſcite, quando
Non ferrum in dura verſandum incude, tenaci
Forcipe: non enſes fabricandi, aut ærea ſcuta:
Verum æs ignivomũ, & ſummi tormenta Tonantis
Fulmina, quæ referant, & terrificos reboatus
Cudere opus, vaſta fuſis fornace metallis.
Hæc etenim Marti potiora virilibus annis
Inſtrumenta placent belli, quibus acrior inſtat
Cæde furens, ſatiatque animum furialibus iris.
Scilicet ingenio indulgens, iraque minorum
Horridus in flammas, & rauca tonitrua ſurgit.
Proh ſuperi! quæ tanta necis furioſa cupido
Mortales agitat ſenſus, ut pectora ferro
Non ſatis incidi viſum: ſed fulmine rumpi,
Atque opus horrendo fuerit diſcerpier igni.
Vſque adeò tantam fera mens exarſit in iram,
Ingenii ut vires, & acuta inventa ruinam
Verteret in propriam, Fatis nolentibus ipſis.
Non ratio, non Fata valent obſiſtere, cum jam
Per præceps trahitur mens irritata furore.
Principiò tormenta, nigris quæ vexit ab umbris
Sanguineus Mavors, Furiis, & Dite miniſtro;
Ardentes quoniam jaculantur ad æthera flãmas
Horriſonis latè bombis, cognomine noſtri
Illa hinc Bombardas appellavere vocantes.
Mirum, horrendum, ingens inventũ Martis, aperto
Edere ſeu ſtragem campo, ſeu fulmine clauſas
Dejectare velit totis cum mœnibus urbes.
At quæ forma: velut longus Bombarda cylinder,
Inque igni fuſo formatur concavus ære.

Illius & partes quanquam deſcribere verſu
Difficile, & latia pro majeſtate referre:
His tamen enitar. Patet os in fronte rotundum,
Plurimus & circùm ſinuatur denſior orbe
Circulus: hunc fuſor dicit cognomine gemmam.
Quem circum varium ſignis collare rigeſcit.
Aſtragaluſque nitet poſt hoc tornatus, & orbis
Tormento in medio geminus diſcrimine certo
Ære laborato protuberat. unus in ora
Qui vergit, minor, in tergum qui vertitur alter
Grandior. Hos inter lauro redimita ſuperbi
Cæſaris effigies, Aquilaque inſignia regni
Egregiis inſculpta notis, atque arte magiſtra.
Non longè gemina, ſolidoque ex ære recurva
Hinc, illinc ſenis excurrunt partibus aures:
Quas & tormenti nonnunquam dicimus alas.
Scilicet impoſita quia curribus ara canora
Suſtentant: geminaque ſimùl ſtant deſuper anſa.
Attolli quibus, & verſari machina poſſit.
Hæ, gemini Delphines uti quia ſæpè creantur
Fuſore; idcircò Delphinum nomine gaudent.
Altera tormenti, qua pars poſtica vocatur,
Tergum etiam fabris, Latio dicenda caminus,
Majori turget profuſi mole metalli.
Illius extremo manet annulus, aut nitet orbe
Non uno conus diſtinctus. plurima & ipſum
Exornat tergum variis armilla figuris.
Deſuper eſt focus, & circus complectitur illum;
Vt pyrium teneat nitrum, ne fortè labaſcat.
Accipit & flammas, & per concluſa meatus
Intima rauciſoni tranſmittit in exta metalli.
Cujus & interior, qua pars & fulmina, nimbumq;
Evomit, æquato excurrit protenſa canali.
Illius in tergum, gemina qua tendit ab aure

Pars

Pars gravidanda nitro, turget denſiſſima ferro;
Fortius ut queat erumpenti obſiſtere nimbo.
Altera, quæ vacuo decurrit ad ora meatu,
(Tormenti Pſychen vocitaſſent nomine Graji:
At noſtri, quoniam volat illa emiſſus ad auras
Ingenti clangore globus, dixere Volatum)
Tenuior eſt ære, & decreſcit ad uſque ſupremum
Os, quoniam nitri minor illàc fulminei vis
Concutit æra, leves jam jam ventura ſub auras.

Hæc cùm memoriter habuiſſem: tenebam enim verſiculos ſecundùm paulò antè nonnihil caſtigatos: ſtatim amici, quotquot erant: Nihil, inquiunt, jucundius nobis cadere potuit. rogamuſque enixè, ut quamprimum inſtitutum opus efficias, neque amplius ex die diem ducas. nihil enim admodum eſt, quin brevi abſolvi poſſit: ut enim tibi promptum ingenium eſt, ita facilis vena. Quibus tum ipſe: Etsi opus majores ſanè, & Maronianos cothurnos expoſcat, qualecumque tamen mihi ingenium sit, quod quidem mediocre (de facilitate venæ non coactè fluentis non contendo, abſolverem utique ſi amœniſſimo hoc ſub cœlo, ubi ego planè bellè me habeo, atque pugilicè per annum integrum liceret mihi eſſe otioſo: & tranquillè longè à porticu, longè ab urbano tumultu verſari. Sæpenumero hujus Elysii memor, dicere ſoleo, Fortunata Corinthus: at ego sim Teneates. Nam fac Neapolim redeam, quot illicò tricæ, quot negotia animum diſtrahent? ut ne ad ſcalpendas quidem aures otium sit. quot ſolicitudines, quot rumores, decumanæ velut undæ mentem hac, illac agitabunt? Quid de valetudine? quæ hac amœniſſima, ac ſaluberrima cœli temperie, ciboque etsi non lauto, certè ſalubri, reſtaurata, continuò incipiet defloreſcere, labeſcere, peſſum ire, tum ob craſſum cubiculi aërem, tum ob braſſicas capi-

tatas. morbi enim, ut optimè Galenus, partim ex aëre, partim ex cibo generantur. Siquidem hoc nutrimur, illo verò continuò reſpiramus. I nunc, & tot diſtractus curis, tot præpeditus negotiis, tot oppreſſus moleſtiis, ſtrepente undique multitudine, clãgente ſingulis momentis, nedum horis, crepitaculo, capite, & ſtomacho laborantibus, Bellica ſive Tattica, ſiue Poliercetica, ſive Navalia abſolve. id etenim in hoc ſtatu rerum ſi maximè velim, neutiquam poſſem. niſi vellem aut nullam ſalutis rationem ducere, aut præ nimia feſtinatione, Marſum imitari, atque ineptiſſimum opus proferre in lucem. Minimè vitæ fluctibus eum circumiri neceſſe eſt, qui expolitum aliquid edere mediratur. Hoc loco illi: Ità ſanè ſe res habet. nec enim eſt, quo occurramus. ut enim pervulgatum illud,

Seceſſum Muſa, ſcribentis & otia quærunt:
Nec locus hoc Muſis aptior eſſe poteſt.

quem tu in Halieuticis graphicè depinxiſti. Hic enim vacuitas illa vel curarum, vel dolorum, ſuaviſſimum iſthuc ſilentium, nonnisi dulciſſimo avium cantu, neſcimus interruptum ne dicamus, an continuatum? tranquilla animi quies nullis obnoxia ægritudinibus, quia nullis rumoribus perturbata, pacatiſſimus iſthic loci genius quid aliud, quam Muſas, quam literas inſpirat? Verum illud, Parthenie, non probamus, te nimirum degere ſolitarium nullo ſocio, adjutore nullo, qui ſaltem verſus tranſcriberet, teque hoc inutili labore liberaret: quicum valetudinis cauſſa deambulare, ſermones habere eruditos, & ſi quando præ teterrima hypocondriorum lue frontem contraxiſti, exporrigere poſſis, atque explicare. qui ſi doleas, conſoletur, ſi ceciderís, ſublevet, & ſi quid accidat humanitus, parentet. Væ ſoli, Divinæ Sapientiæ effatum eſt. hominem ſociabilem natura fecit: nec humanis in rebus quidquam, vel

ju-

jucundius, vel pretiosius est amicitia. Tum ego: Verissima prædicatis. neque ego is sum, quem μυσάνθρωπον Græci appellant. Scio equidem quam jucunda sit societas, quam homini necessaria, nisi velit in feram degenerare. quandoquidem belluæ ipsæ, quæ cicures natura sunt, si solas concluseris, mirum quantum efferantur. Sed aventi mihi socium habere, & quidem genialem, atque ingenuum, neque occasio sinit, neque locus, neque licet interdum. Tum illi: Mirum equidem. sed quid facias? ita se res habet: & ita animum inducas opus est. Verum enimverò mittamus isthæc, quæ si animum non lacerant, pungunt quidem certè. ad ea verò sermonem transferamus, quæ illum tum erudiunt, tum delectant. Et quoniam bombarda in medium allata est. (quam quidem ab igne, quem maximo emittit bombo pressius latinè dici nos tuis versiculis docuisti) scire abs te avemus apud quas primò gentes illius usus fuit. varius enim de illius inventione rumor circumfertur: plurimaque de Sinis narrantur: quam gentem, ajunt, esse solertissimam, & complures artes quà ingenio, quà industria primam omnium excogitasse. Quibus ego: Morem geram quam libenter, & quæ mea sit hac de re sententia planè expromam. ne verò multis vestras aures obtundam, tem strictius attingam, perstringamque breviter. vos æquo, intentoque animo, quæ dicam attendite. Illi verò: Perge porrò: animos accommodabimus, & libentes, & attentissimos. Tum ego: Antequam ex Europa in extremas Asiæ oras, Oceano, vel arte, vel audacia superato, nostri homines pervenirent, hanc sibi laudem non immeritò vindicabant. Qui verò ipsorum primi adinvenerint, magna quidem controversia, ut in re tali sæpenumero usuvenit. ita enim mortalium natura est, ut magnarum rerum se quisque auctorem

ferat: quippè laudum appetentiſſimi. Nonnulli, quorum agmen, quasi principes agunt, Polydorus Virgilius, & Horatius Turſellinus, viri vel eruditionis, vel elegantiæ laude ornatiſſimi: terrificas haſce machinas, quibus homines excitare tonitrua, torquere fulmina verius visi ſunt, quam Salmoneus, Salmoneus autem? imò Juppiter ipſe: ad Foſſas Clodias magna tum admiratione, tum terrore mortalium primùm intonuiſſe tradiderunt: Eaſque Venetos in memorabili illo cum Liguribus conflictu anno MCCCLXXVII. pari gloria, quam ſucceſſu explodiſſe. Verùm etsi authores graviſſimi, tamen communis æſtu opinionis abrepti, actique in tranſverſum, tantum à veritate aberrarunt, quam qui maximè. Tum illi: Mirum ſanè in illiuſmodi viros id cadere potuiſſe. Quibus tũ ego: Imò id cadit universis, quos aliorum placita auferunt. Et illi: Verum age, si ita eſt, ut narras: cedo, quibus illud conficis argumentis? Ego verò: Authoritate Petrarchæ, cui vel eruditione, vel ingenio nihil omninò eſt, quod aceedat. Hic enim in libro, quem ſcripsit de remediis utriuſque fortunæ, Bombardas memorat: & multo ante inventas refert. Cum verò fato functus sit anno MCCCLXXIV. perſpicuè conſequitur bombardarum inventionem pugnam ad Foſſas Clodias præceſſiſſe. Tum illi: Aſſentimur. perge porrò ad cætera. Tum ego: Galli, qui ea ſunt indole, ut sint gloriæ quam maximè appetentes, ſeſe hujuſmodi inventi auctores prædicant: quod quidem ut perſuadeant, neſcio quas hiſtorias afferunt, quibus Caroli VI. ævo uſui fuiſſe fulminalia bellicoſiſſimæ genti, consignatum eſt. Quidam Othone IV. Cæſare circiter anno MCCXII. à barbaris in Hiſpania in Chriſtianorum pernicicm excogitata, atque in pugnas producta ferunt. nempè ab humano ingenio tam immania, tam fera belli machi-

namenta educi neutiquam potuerunt. Sub idem tempus inventus perhibetur pyrius pulvis: ferturque parens ſobolis tam nefandæ Anglus quidam, cui, si benè memini, Rugerio nomen erat. Tandem hanc sive laudem, sive ignominiam (non enim certò ausim definire) Germani, & fortaſſe ſuo jure, sibi aſcribunt. Ab his verò Venetos, qui tam propè ab illis abſunt, primos ex Italis accepiſſe vero similius eſt. Ego, etsi maximè vellem, tamen in re tam varia, & cuius me auctorem eſſe ſummoperè pœniteret, nihil certi ausim ſtatuere. Hic illi: Prudenter tu quidem; & eò præcipuè, quod ſæpè contingat, ut, quod falsò creditum eſt, veri vicem obtineat. verum age, quod rem attingit, perſequere. Tum ego: Iſtuc ibam: Audite igitur paucis. Inficiari minimè poſſum, hujuſce modi tormenta non tam Martis depræliantis, quam fulminantis Jovis multis retrò ſeculis quam in Europa vel in hominum perniciem, vel excidium urbium producta ſunt, apud ultimos Orientis populos, quos antiqui Seres, noſtri Sinas vocant, in pugnis, atque arcium oppugnatione adhibita fuiſſe. id verò, & illarum gentium annales tradunt, & compluria fidem aſtruunt. Hoc loco illi: At quæ Serum annalibus adhibenda fides sit, certè non te latet, quippè hominem eruditum. res enim geſtas habent, quæ plurimis ante ſeculis, quam homines extiterint, factæ non certè quidem, ingeniosè tamen confictæ. Quibus tum ego: Non nego: vaniſſima profectò gens eſt, ac perridiculas, anileſque fabellas vetuſtiſſimarum rerum ſuis annalibus conſignavit. tamen vera eſſe, quæ ultimis temporibus conſcripſerunt, verisimile quippè. Et illi: Aſſentimur & his: ira etiam nobis videtur. Sed dic, ſodes: cenſeſne Europæos noſtros hujuſmodi artem à Sinis accepiſſe? Quibus ego: Minimè quidem, etenim nulla illis ultro,

tro, citroque cum Seribus commercia fuerunt. Imò pernicioſiſſimam hanc artem, quæ jugulum petiit fortitudinis, & novam indidit animis crudelitatem, Seres ipſos ab aliis habuiſſe. Illi verò; A quibuſnam? inquiunt. id nobis novum omninò cecidit. Tum ego: Dicam jam jam. verum ut enucleatè, diſtinctèque diſſeram, vos ſcire velim, inter ulteriorem Indiam, quam extra Gangem Geographi vocamus, & vaſtiſſimum Sinarum imperium ſupra partes xxx. latitudinis Borealis regionem eſſe, quam barbari *Aſem* indigitant. Fortaſſe, ni mea me fallit ſententia, ille erit Indiæ tractus, qui Gangem inter, & Bepyrrum montem jacet, ubi olim Ganganos habitaſſe fama eſt. Regio tum auri, argentique, ac cæterorum metallorum fodinis, tum ſoli ubertate, amniumque, quibus irrigatur frequentia, ut dives eſt, ità amœna, nullique illius tractus ſecunda. Apud hujuſce regionis populos perquam vetuſtiſſimũ fuiſſe bombardarum uſum, & gentis annales, & circum accolæ nationes teſtantur. Quinimò tormenta ipſa aſtruunt sibi fidem. in illis enim anni, quibus fuſa, atque elaborata, cælatis affabrè, ac peregrinum in morem literis adnotantur. Hoc loco illi: Mira quidem narras, & nova omninò: Et ego: Ita enimvero. At illi: Sunt igitur inter barbaros, qui plus nimirum ſapiunt, quam nos opinemur. Quibus tum ego: Ita verò. ſed addam amplius. Tum illi: Nempè altius Bombardarum inventio repetenda? Ego vero: Nimirum divinaſtis. Audite modò paucis: quoniam enim meridianæ quietis tempus appetit, properandum cenſeo. Supra Aſenſe regnum, Butanum eſt, ubi olim Scythæ Ottorocoræ, & Batæ incolebant. ab his fortaſſe corrupto à barbaris vocabulo, ut plerumque accidit, regio *Buten* appellata. Quo in regno Fulminalium uſus quã vetuſtiſſimus perhibetur. Complures enim, qui ad ho-

ſce

ſce terrarum tractus non multis ab hinc annis commerciorum cauſſa profecti ſunt, referunt reperiri inibi tormenta, tum ænea, tum ferrea ante annos D facta. ſclopos item minores adeò politos, ac ſubluſtres, ut inſtar ſpeculorum lucem repercutiant: sigillis verò tam graphice cęlati, ut Attalici præ ſe operis ſpeciem gerant. Eſt etiam inſculpta epigraphe, quæ ante annos CLXXX. confectos eſſe docet. Sunt præterea, quod magis mirum eſt, pilæ igneæ, quas id temporis Pyrobolos noſtri dicunt, vulgus à similitudine Mala Punica appellat. illas verò, non quemadmodum noſtrates, manibus jaciunt, non sine periculo, verum brevioribus haſtis prę-fixas jaculantur quam dexterrimè. Tum amici: Næ, illi ſapiunt, & quidem ſupra barbaros. Ego verò: Ita prorſus. Ab his autem populis ad Peguanos primùm artem arbitror adlatam eſſe: hinc veluti gradu facto, ad Sinas perveniſſe, apud gentes illas diſſipatiſſimus ſermo eſt. Hi verò quoniam ſuopte ingenio induſtrii, & malarum artium dociles ſunt animi, acceptam ab exteris artem mirificè propagarunt. Hinc apud illos paſſim videre licet, tum majora tormenta, tum minora mirum in modum cælata, sigillis inſculptis, ac floribus intertextis tam ſcitè, ac fabrè, tantoque ornatu, ut nihil sit, quod amplius quæras in eo genere. ſunt nempè hujuſmodi arte Sinæ peritiſſimi, ut tam in opere æneo, quam fictili Phrygios textus quam facillimè imitentur: inque sigillariis operibus elaborandis ingenioſiſſimi.

Hæc cum dixiſſem, quoniam jam tempus erat insititio ſomnulo meridiem diffindere, quod ni facerem, vivere non poſſem, ad amicos: Surgamus, inquam, ac brevi ſopore defatigatum animum reficiamus. Et illi: Rectè tu quidem, & in tempore mones. aſſurreximus igitur: & quiſque in ſuum cubiculum cubitum ivit.

CA-

CAPUT V.

Quibus in locis reperiantur adamantes, & qua vel arte, vel industria eruantur.

POsteaquam benè manè in hortulum ego, Quinctius,& Lucilius,quem merito sui plurimum amo, descendimus,atque per Xystum diutiusculè deambulatum est, Eamus, inquit Quinctius, ad oram maris, ut ibi moremur tantisper. viden' ut tranquillum est? ut nos invitat? quinimò aspice, ut à nostro scopulo piscatoria illa cymbula tam propè respondeat: rogabimus homines si quid habent piscium. Cui ego: Video enimverò: sed nolo tempus lacerare. ad literariam mensulam me Musæ expectant:quas mihi videor videre diurnum pẽsum à me repetere. neque ego tam inurbanus, qui diù illas expectare patiar. Tum Quinctius: sed reficiendus est animus,ut labori par sit: cæteroquin succumbet, mihi crede. illius velim memineris, quod adeò tritum, ac decantatum est, Non semper arcum tendit Apollo. age, quæso, tempus remitte, ac te respice:æquum quippè ut quasdam in die horas luculentè habeamus. Cui ego: Satis refectus est animus, tum ambulatiuncula, tum auris matutinis. si tibi ita constitutum, pergito cum Lucilio. remitto nimirum vobis istam voluptatem. Tum Lucilius: Aliud profectò est in caussa. Cui Quinctius: Quid? effare. Et ille: Veretur ut ne pisces coëmat. jam enim Parthenius noster esse incipit aliquantò tenacior.nimirum ad rem in senecta attenti sumus. Cui tum ego: Nihil minus: en pecuniæ quantum voles. Hoc loco Fabiolus supervenit: quem cum vidissem, Quid rei est? inquam. Et ille: Quidam pro foribus Lucilium conventum expetit.

tit. Et ēgo: Quiſnam? Ille verò: Quidam puer cum tabella, & caniſtro. Tum ego ad Lucilium: Nempè munuſculum nobis affert. At Lucilius: Ibo, ut videam: ſtatimque diſceſſit. Tum Quinctius: Iterum me urgens, eamus, inquit. Cui ego: Si ad ſcopulum deſcenderimus, diem amiſero. At Quinctius: Sed magno lucro. reſpice te in ſpeculo, cernes ſanè ipſe quam oppidò pallidus sis; quoniam nunquam remittis animum à legendo, & quod noxium magis eſt, à ſcribendo. timeo tibi, mi Parthenie. utinam quanti Muſas facis, tanti te faceres. imò si Muſas amas, tui curam ſuſcipito, & ſalutis rationem habe: neque te tantum literis involvas. si ſecus, illis tandem vale dices omninò. Cui ego: Ut bellè argutaris? utinam tu paulò ſtudiosior Muſarum eſſes. prætexes, ut te præoccupem, valetudinem. ſed, ut bellè Martialis, Non tuſſis, gula eſt. plus nimio diligis otia, tibique oblectamenta cordi ſunt, non labores eruditi: quibus ditior fit animus, & quibus emergimus è vulgo. quare age jam ad bonam te frugem recipito. Tum Quinctius: Iſtuc ipſe viderim. Ego verò: At mihi nimirum illud hæret in memoria, quod Apelles jactare ſolebat.

Nulla dies abeat, quin linea ducta ſuperſit.

quo ille ſummus pictor evasit, & quo quiſque per ſe ad ſummam doctrinæ laudem, atque honoris gradum aſcendere quam facillimè poteſt. At Quinctius. Eruditè quippè: advertam ad id aliàs mentem. nunc, amabo, mi Parthenie, deſcendamus in ſcopulum. redibimus illicò. Cui ego: Næ ego tener, ut id tu blanditiis extorqueas. Ille verò inſtare, atque urgere iterum: Quæſo, ut hac tantum vice mihi morem geras. Tum tandem, ne juvenem ægrimonia afficerem: Deſcendamus, inquam, ſed breui domum reverſuri: verum velim hinc videas, quanti apud me sis, cum tui gratia Muſas

relinquam. Ille: Scio enim verò: grateſque habeo quam maximas.

Cum igitur brevi deſcenſu, clivum tranſmiſiſſemus, ad antri fores pervenimus, tum ego è cardine ferreum obicem amoveo, oſtiumque aperio. at Quinctius aſſumpto piſcario calamo, quem ego ponè fores aſſeruabam, me ſequitur in ſcopulum progredientem. Quem cum viderem: Falleris oppidò, mi Quincti. haud quaquam piſcandi nunc tempus, Et ille: Cur non? Cui ego: quia aqua nimis perlucida; turbida ſit, oportet, ne ludas operam. non tenes, quod ſcripsi in Halieuticis?

Nil puris piſcamur aquis: dant turbida prædam
Flumina.

Tum Quinctius. Memineram ſanè: ſed volo periculum facere, utrum benè necne ſcripſeris. At ego: Alias experiere: modo non vacat. nam si ſemel incœperis, totum manè obducemus. nec dubium quin vapulemus à Musis. Ille verò. Ego quidem non vapulabo. Cui ego: Concedo: ſed quis mihi ſponſor? Tum Quinctius: Ego ſatis dabo. Cui ego; O vadem præclariſſimum! timeo ne tui gratia acerbius vapulem. Hic Quinctius reposita poſt fores arũdine, in arenam deſcẽdit, cœpitque lapillos, quos unda egererat, evolvere, si forte fortuna pretioſum aliquem reperiret. Poſtea verò quam multam verſando operam impendit, impendit autem? imò perdidit, ut pueri faciunt otiosi: qui sic ſunt, ut quid agant, quid dicant nihil pensi habent, perlucidum quendam nactus eſt, quem ut accepit, illicò ad me tam lætus, ac hilaris, quam qui theſaurum in ſuo fundo adinvenit. Etsi arenam, inquit, verſavi, tamen laborem minimè ſevi. Cui ego: Utinam vera prædicares. Ille verò: Superis gratia, vel te invito, funiculus multum piſcium attraxit. Tum ego: Oſtende, quid sis expiſcatus, numquid lapidem pretioſum? Tum Quinctius?

ctius: Ut divinasti? en adamantem pulcherrimum. Cui ego: Vide ne sit crystalli ramentum descendens in adamantem. isthæc enim ora non fert adamantes. Ille: Ità dii me ament, ut ipsissimus est adamas. statimque porrexit. Ego, ut vidi; O peritum, inquam, gemmarium! istuc frustulum est crystalli montani. Ille verò: ludis? Cui ego: Jocari meum non est. Tum Quinctius. Ut facilè sibi quisque fortunam fingit! ut fallit spes pauperem! Sed age sis, & quando dedita est occasio, dic, quæso, ubi gentium nascantur adamantes. id jamdiu scire cupiebam. Cui ego; Dicam equidem, sed non multis, ne plusquam velim immoremur. Sedeto in hac scopuli crepidine, quam mollis investit muscus, placidum adlambit mare, & attentum adverte animum: sed videto ne decidas. Ille: Mitte hunc timorem: solum minimè lubricum. Ut sedit, ego ea, quę rem attingerent, sic exponere orditus sum:

In Asia regio est toto orbe notissima, Indiam & novi, & veteres appellarunt: quæ tum populorum multitudine, copiaque divitiarum, soli ubertate, amniumque frequentia, tum cœli temperie, & felicissima est, & opulentissima. quocirca meritissimò illius glebas aureas esse poëtæ commenti sunt. duobus maximis fluviis, Indo, & Gange irrigatur: à quibus ambobus nomen obtinuit. nam cum medius eam Ganges intersecet, hinc factum est, ut quæ ad Occidentem illius est, per quam Indus interfluit, India intra Gangem: quæ verò ad Orientem Gangis posita, India extra Gangem diceretur. Regionem omnem ab Occidente Sole Carmania, Aria, Aracosia, & Bactriana, quæ id temporis sub Persarum sunt imperio, concludunt: ad Orientem serico opificio nobiles Seres incolunt. à quibus Bepyrro monte, & vastis solitudinibus discluditur. à Septentrionibus præruptis montium jugis Caucasus

coar-

coarctat: atque illis, quasi muro inacceſſibili, à Scytharum incurſionibus tutatur. Quidquid verò terrarum ad Meridiem jacet, Orientalis Oceanus, ab ipſa Indicus etiam appellatus, interluit. In quem utraque duabus magnis peninſulis irrumpit. quæ ultra Gangem eſt, Aurea Cherſoneſus veteribus dicta, altera, quæ cis Gangem sita eſt, lingua velut ſeſe exerit ab Asiæ continente. illam hinc Indicus sinus, illinc Gangeticus alluit. ad extremam cuſpidem, quà Meridiem ſpectat, illi Tapobrane inſula reſpondet. In hac peninſula cis Adamantem fluvium (ab adamantibus, quibus regio ditiſſima, opinor à veteribus dictum) duo regna ſunt, quæ ſuperiore ævo geminæ erant provinciæ, quibus Indorum imperium finiebatur. quidquid enim terrarum ſupereſt ad Meridiem ſuis regibus paret. rebellantes mox ab rege præfecti, populorum favore, quorum gratiam quà lenitate, quà officiis, quà prœmiis aucupati erant, ſe reges dixerunt: & quam perduellione uſurpaverant dignitatem, fortitudine muniverunt. regnantque ad hæc tempora. Nimirum male parta imperia, & vindicata fortiter, & rectè adminiſtrata in juſtam tranſeunt poſſeſſionem: & mali facinoris notam tempus obliterat. Horum unum ad Orientem Gangeticus sinus perluit: ab Occidente Adiſathrus, qui inſtar Apennini totam peninſulam medius interſecat, altiſſimis rupibus præcingit. ab arce regia cui Golcondæ nomen, vocitatum. alterum ab Occidente Indicum sinum habet, ab Oriente verò eodem monte concluditur: à Viſapura urbe item regia (ut olim apud barbaros, & nunc etiam apud nos fit) nomen ſortitur. In duobus hiſce regnis opulentiſſimæ adamantum fodinæ ſunt. Quæ ad Viſapuranum regem ſpectat, Raolconda incolis dicitur. Eſt autem regiuncula rupibus horrida, ſquallida arenis, aſpera dumis, & ſylvis impervia:

nec

nec quidquam eorum gignit, quæ ad hominum victum Natura paravit. Quippè satis hic illa dedisse visa est, cum dederit adamantes, quibus omnia uberiore censu compensavit. Rupes, etsi tam duræ, quàm Marpesiæ, tamen veluti pumices crebris foraminibus patent. quæ quasi venæ per illarum viscera obliquæ serpunt, arenis oppletæ, quibus immixti latitant adamantes. ita ludente natura, ut & occulat pretiosa, & quasi negligens vilibus immisceat.

Hic Quinctius: Dic, sodes, inquit, quonam modo ab illiusmodi venis extrahunt adamantes? Cui tum ego: Istuc ibam. Ferreis uncis arenam omnem educunt, atque fictilia in vasa mittunt. mox illam diligentissimè ter lavant: & si qui permixti sint adamantes oculatissimi vestigant. Quia verò illi rupium meatus modo sursum serpunt, modo deorsum, modo per latera obliqui multiplice flexu intricantur; idcirco qui educendis adamantibus dant operam, ferreis scalpis, quibus acies scitissimè temperata, rupem venarum vestigia secuti, ingenti labore tandiu scindunt, quoad arenam omnem eduxerint. Interdum vecte validissimo rupes replicatis ictibus percutiunt; nempè verberibus excussæ rupes vel invitæ tandem adamantes evomant. verum qui hoc modo, vi facta, emittuntur, non tam nivei, ac puri, quam reliqui, qui candidissimi sunt. ijdemque mundissimi: sed nævos habent, illis persimiles, qui nonnunquam visuntur in glacie, cum cœperit frãgi. diceres irritatas ictibus rupes abortivam sobolem procreasse: testarique adamantes illis, quasi lacrymulis, dolorem suum, fœdatamque maculis faciem ostentantes, insanam hominibus exprobrare cupiditatem. Tum Quinctius: Vera narras: sic etiam ipse animum induco. sed perge reliqua. Tum ego: Faciam quam citissimè potero: jam Sol viciniam illustrat, timeo pro-

fectò ne cunctando Muſas irritem. nihil nimirum durius, quam cunctantem diutius expectare. Illæ verò quamvis mites, quippè quæ virgines modeſtiſſimæ, tamen ſæpiuſculè iraſcuntur: Tum Quinctius: Objiciam ego dorſum, ut in me iram omnem exerceant. Cui ego: Obijcias licet, verumtamen in me unum iram evoment. novi oppidò illarum ingenium. At Quinctius: De tuis iſtis Musis tu videris, si sic ſunt. ego de prandio potius ſum ſollicitus; de illo enim nihil Fabiolo mandaſti priuſquam in hortum deſcenderes. Cui ego: Curam iſtam deponito. habemus pro primo ferculo ficedulas duodeviginti pinguiſſimas, quas heri mihi dono misit Veſpolus, quicum mihi ſumma familiaritas intercedit: quia verò depilatæ, aſſare nullius eſt negotii; habemus elixam bubulam cum pulte oleracea è braſſicarum cymis tenerioribus. habemus pro ultimo ferculo panem carne vitulina mixtum. quid amplius expetas? Et ille: Nihil eſt rerum omnium, quod malim. Caponem, perdices, liba dulcia, boletos, tuberes, nihil moror. quocirca, contende, quod inſtituiſti. res mihi cadit quam jucundiſſima.

Tum ego: Golcondano in regno altera eſt adamantum fodina, *Ganim* barbari dicunt. diſtat ab urbe Golconda iter ſex dierum. Eſt autem æqua planities, quę inter amnem, & montem jacet. & IV. millia paſſuum patet. ad amnem ſedet oppidum ut populis frequens, ità cultu inelegans, ut ferè omnia illius regionis loca ſunt. multiplici mons jugo, dimidii arcus ſpeciem præſefert: præruptis interciſus ſcopulis horret, nuduſque arboribus ſquallet. ager etsi tenuis, induſtria tamen incolarum excultus fert millium, quod ibi eſt nigrum colore, amplum grano, arundineum culmo: quo gens illa victitat, nec quidquam ſuauius habet pulte milliacea. Hoc in agro, terra ligonibus effoſſa, ada-

[man-

mantes reperiuntur: & eò majores, quò propius montem acceſſeris: mons ipſe nullos gignit. Hanc Adamantifodinam proximè elapſo ſæculo fortuitò inventam perhibent hoc modo. Arator quidam dum terram verſaret, ut millium ſereret, lapillum quendam candicantem animadvertit, quem cum cœpiſſet, & quid eſſet ignoraret, in urbem detulit de eo ſciſcitaturus. Hic fortè fortuna in Mercatorem gemmarium offendit, qui cum adamantem cognoviſſet, & quidem maximum quotquot unquam viderat (pendebat enim ſeſquidragmam) atque exaluminatiſſimum. Ubi gentium, inquit, tam pretioſum adamantem reperiſti? Ruri meo, inquit, agricola. atque in hunc modum, cum innotuiſſet ager, cœptum eſt educi ex illo adamantes. Eſt autem iſthæc fodina quam ditiſſima: quippè quæ plures, & grandiuſculas gemmas progignat: etsi non omnes probi coloris, nec immunes à maculis. imò, quod mirum oppidò eſt, eodem colore inficiuntur, quo terra, ex qua eruuntur: etenim cum ità cãpus sit, ut variis in locis varios colores tellus induat: eodem prorſus modo variant adamantes. nempè germana ſoboles ſuorum parentum præ ſe lineamenta gerunt. hinc qui è paludoſa nigricant, qui è rubra purpuraſcunt, vireſcunt è viridi, luteoli verò veniunt è lutea. sũt item nodosi, & si ſecueris obesi: quocirca opus eſt, ut illos lino mundiſſimo detergas identidem. verum qua vel arte, vel induſtria è terra educantur, quamvis benè longa res sit, dicam tamen perpaucis: jam enim die multum eſt: meque Muſæ præſtolãtur: & tardo amico nihil eſt quicquam iniquius. Tum Quinctius: Imò multis. tuus enim ſermo me mirificè delectat. Cui ego: Bona verba. ſed Muſas timeo, præterea neminem. Et ille: Ut video, præ illis neminem putas. Tum ego: Ita prorſus. verum tu moras innectis dolo ma-

lo. Et ille: Nihil minus. Cui ego: da igitur mihi vacuas aures, dum reliqua efficere contendam. Ille verò: Perge porrò. hic maneo. Tum ego. In fodinam conueniunt hominum ferme LX. millia, partim viri, partim mulieres, partim etiam pueri: ut vel hi à teneris annis labori aſſueſcant. ubi verò convenerunt benè mane, locum primò captant æquiorem, & perquam amplum: quem ad inſtar areæ complanant, quadratoque muro duos pedes alto præcingũt. inque illius imo veſtigio ad singulos quoſq; pedes foramina faciunt, quibus aqua, cum opus fuerit, diffluat ab area. ne verò prius, quam neceſſe sit, dilabatur, aggeſta terra opplent. Poſtquam confecta eſt area, in illam convenit gens univerſa. mox fundi Dominus larem ſuum edito in loco, ut ab omnibus ſpectari poſſit, religiosè collocat, quem cuncti more patrio adorant. ter nimirum in os proni corruunt. dum intereà Brachmanes, qui apud Indos ſacra curant, preces fundunt ritu perquam vetuſtiſſimo. Quibus abſolutis, glutino ex croco, gummique ſubacto singulorum frontes jidem signãt: figuntq; octo oryzæ grana, neſcio ob quam perridiculam religionem. Deinde ſe singuli lavant (nudi enim præter pudenda operi incumbunt, ne fortè haberent, ubi adamantes occulerent) aqua, quam quiſque sibi bajulat in vaſe. si ſecus piaculare. nefas enim ducunt in ſacris peragendis alterius uti miniſterio. ſacris procuratis hoc modo (laudabiles ſanè præ aliis hac parte, quippè qui ab Jove opus auſpicantur) ſedent humi incurvis cruribus pro more gentis pranſuri. nunquam enim Indi opus quodcumque aggrediuntur impransi. Ut ſederunt, illicò Brachmanes singulis ſcutellam oryzæ ſubminiſtrant. ſcutellæ non fictiles, neque ligneæ, ſed ex frondibus arboris cuiuſdam nuci juglandi perquam simillimæ, mirum in modum contextæ. poſteà verò in

æream

æream ſcutellam quatuor butyri uncias, & tantillum mellis arundinacei immittunt. hiſce duodus ferculis prandio perquam frugali abſoluto, læti, atque alacres aſſurgunt: & tum denique operi manus admovent. Viri terram ligonibus excavant, pueri ciſtis vectant in areā: mulieres acceptis ciſtis terram expediunt, ſternuntque in area. Et hunc in modum tandiu ſolum fodiunt, quoad infra pedes XIV. in aquam offendant. tum tandem ceſſant ab opere: cæteroquin in aquam ſementem jacerent. nulli enim in aqua generantur adamantes. Ad alteram igitur inſtituti operis partem contendunt. omnes collata opera, è fovea, ex qua humum eduxerunt, urnis aquam hauriunt, feruntque in aream, effoſſamque ſuper humum ſpargunt. Ut jam benè madefacta, ad duos, vel tres dies relinquunt, ut quam molliſſima fiat. ubi verò tam mollis facta eſt, quam intrita farinacea, muri foramina aperiunt, ut aqua diffluat. Exin urnis iterum novam aquam infundunt, quoad lutum omne unà cum aqua egeratur: & arena tantum densior reſtet in area. Illam verò, ut Sol ibi æſtuosiſſimus siccavit, caniſtris vimineis, qui vice vannorum noſtratium apud illos ſunt, arenam illam expurgant. deinde excretam raſtello quatridente ita extendunt, ut sit quam maximè complanata. pilo mox ligneo illam diſterunt, ter ex uno in alterum latus obambulantes. pinſa cum eſt, iterum vannis illiuſmodi excernunt, extenduntque iterum. tum demum omnes considunt, & ſolertiſſimè adamantes perquirunt. uſque adeò pretioſa quæque ſummo vel labore, vel induſtria comparantur.

Hoc loco me Quinctius interpellat; Eſtne tellus alia, quæ procreet hujuſcemodi gemmas? Cui ego: Maximè: & in eadem India, quæ una præ cæteris id à natura conſecuta eſt. Non procul à Gange ad Meridiem

altiſſimi montes conſurgunt, è quibus quidam amnis exoritur, quem incolæ *Govelum* indigitant, qui poſt emenſa multa paſſuum millia, in Gangem ſe exonerat. ad hujus ripas in arena latitant adamantes. qui etsi haud quaquam grādiuſculi concreſcant, tamen tam puri candicant, ut nihil ſupra. Præterea in inſula, quam *Bornæum* barbari dicunt (mihi eſt maxima Sindarum) ad *Sacadanum* amnem adamantes procreantur: qui & ipsi mundiſſimi candicant, & ferè omnes exaluminati. Hæc cùm dicerem, nihil propius factum eſt, ut Quinctius mergeretur. dum enim converteret ſeſe, ut prætereuntem læva lembum proſpiceret, lubrico in ſcopulo, fallente veſtigio, in undas prolapſus eſt. Et nisi ego arrepto derepentè brachio tenuiſſem, utique demerſus fuiſſet. Verumtamen cum eum non satis ſuſtinerem, factum eſt, ut humero tenus totus benè madefieret. tandem conniſus manibus emersit in ſcopulum. Ego cum illum undique rorantem viderem, me à riſu continere, & si vellem, non quivi: verſuſque Virgilii de Menœte recitavi,

Illum & labentem Teucri, & riſere natantem,
Et ſalſos rident revomentem pectore fluctus.

At Quinctius id ægro animo ferens: Adeone, inquit, tibi gravis mea calamitas, ut rideas? Tum ego: Id ſuperi prohibeant. imò diſplicuit, & vicem tuam quam maximè doleo. ſed quid facias? sic eſt ingenium hominum, ut ad inopinam rem, & perridiculam ſuaptè natura rideant. At tibi iſtuc infortunium Muſæ comprecatæ ſunt. idcircò cape sis virtutem animo, atque desidiam tolle; ità Muſas tibi amicas reddes. Et ille iracundulus: Malè, inquit, tibi sit, & tuis iſtis Musis: si tam citò pœnas petunt, quam facilè iraſcuntur. Cui ego: Sed cavendum erat, ne iraſcerentur. quod ego, & præmonui ſæpè, & inculiavi. nunc verò quæ acciderunt

æquo

æquo animo ferenda ſunt. nam, ut ſcitè Comicus: æquus animus optimum ærumnæ condimentum. Ille verò: An tu iſtuc machinatus sis, nolo affirmare, fuiſti in cauſſa quidem certè. neutiquam enim in ſcopuli acie conſedendum erat. non meminiſti illud poëtæ tui?

Parcite oves nimium procedere: non bene ripa
Creditur: ipſe aries etiam nunc vellera ſiccat.

Cui tum ego: Eruditè tu quidem. verum ego, quasi divinaſſem, te præmonui: nec putabam te adeò curioſum, & incautum: si sic eſt tibi ingenium, cavebimus in poſterum. & ille: Serò ſapiemus, ut Phryges. ſed eamus tandem, ut me ad ignem exiccem.

CAPUT VI.

Inſignis roſæ deſcriptio Græci auctoris Latinè reddita: mox quæſitum quid eſſent Adamantes, in quantam molem excreſcerent: quique hactenus majores inventi.

Cum diurnum Sacerdotum penſum, quod ni peragas, piaculare eſt, confeciſſem: Virginique laudes recitaſſem, ac precarium ſertum, ut religiosis hominibus mos eſt quam maximè laudabilis, cingulo ſuſpendiſſem, ad hypethræ veſtibulum conſedi, ut ibi aliquid laxamenti aucuparer: vix dum ſedi, cum en tibi Quinctius præter morem cum libello, quem ut vidi: Quid tibi, inquam, cum libris? an te vitæ tædium cepit, ut quam citiſſimè velis conſeneſcere? Et ille: Itane me ſcommate excipis? gaudeo quod tandem tu etiam jocaris, atque animo obſequeris. Cui ego: Næ ipſe tetricus, qui caream ſale. Sed age, ſedeto hic mecum ad umbram, nam ſolito mollior zephyrus aſpirat.

Ille vero: Ad id veni. ſtatimque conſedit. Poſtea verò quam ſedit, rogo quis ille auctor eſſet, quem præ manibus habebat. Et ille: Græcus, quem tu laudare ſolitus. Cui tum ego: Intelligo: lectita igur: teneor enim ſtylo illo quamdelicatiſſimo: cum verò librum aperuiſſet, oblatus eſt hic locus, tam mollis, & elegans, quam qui maximè. Εἰ τοῖς ἄνθεσιν ὁ Ζεῦς ἤθελε ἐπιθεναι Βασιλέα, τό ῥόδον ἂν τῶν ἀνθέων ἐβασίλευσεν. γῆς εσι κόσμος, φυτῶν αγλάϊσμα, ὀφθαλμός ἀνθέων. λημῶνος ἐρηθημα, καλλος ἅρπαγον, ἔρωτος πνέει, Αφροδίτην προσξενὲι. ἐυώδεσι φύλλοις κομᾶ, Ζεφύρῳ γελᾶ Ut legit. Quid ſi, inquam ego, hunc locum Latinè factum, & quidem ligatum numeris recitarem? Ille vero: Amabo, recita illicò. id mihi erit perquam gratiſſimum. Cui ego. Accipe, ut olim, hunc ipſum auctorem dum lectitarem, Latinè reddidi perpauculis verſiculis: & quidem ſubito calore, ut ſcis me ſolere, nihilque cunctatus, verſus recitavi.

Veris odorata ſi regem imponere turba
Divorum vellet Juppiter *arbitrio:*
Floribus è cunctis, divis plaudentibus, una
Hoc roſa, non alius, culmine digna foret.
Illa etenim pulchra viret intercincta corona:
Et verſat manibus gemmea ſceptra ſuis.
Purpureo ſimul illa ſuo veſtitur ab oſtro:
Atque ſatellitio cingitur illa ſuo.
Egregium decus illa ſoli vernantis, & horti
Riſus, honor campi, purpureuſque vigor.
Aurora ſoboles pulcherrima, Solis ocellus:
Delicia cœli, dulcis amor Zephyri.
Plantarum lux alma, rubor nitidiſſimus, & flos
Formoſus florum, gloria, divitia.

Ille-

Illecebris capit illa animos, delectat odore:
Fronde nitens oculos verſicolore ligat.
Illa etiam tenerum teneris inſpirat amorem
Senſibus, & nexu pectora conciliat:
Dum crines Zephyris perflantibus explicat, & dum
Garrula purpureis verba facit labiis.

Ut recitavi, Beaſti me, inquit Quinctius, carmine tã delicato: amabo poſthac magis, magiſque roſam. Cui ego: Bona verba, quæſo. Ille vero: Nihil minus: adulari meum non eſt: neque tu is es, qui laude mea indigeas. Verum age transferamus nunc animum sis ad ſermonem matutinum. aveo enim ſcire quid sint adamantes, & in quantam molem excreſcant. res enim digna ſanè ſcitu eſt. Cui ego: Faciam libenter. ſed deſcendamus prius ad undas: habeo quippè in deliciis mare. inveniemus fortaſſe mullum aliquem, vel cephalum pro cænula: nam præter acetariolum ex lactuca ſeſſili, & rapunculo nihil admodum eſt, quod vobis ſubminiſtrem. Tum Quinctius: Oro, atque obſecro te, mi Parthenie, ne velis hodie ire ad undas: quippè mihi malè auſpicata iſthæc dies eſt. vereor, ut opus sit me iterum siccare ad ignem. At ego: Fruſtrà tibi periculum fingis. pelle timorem iſtum. non ſemper idem paratur infortunium. cum lapſus fueris, facilè eſt cavere in poſterum. siquidem è lapſu cautior fit animus, & malo facilè eruditur. Age, move te ocyus, eamus tandem. Et ille: Ne, quæſo, me urgeas, nam rem actam ages. adeò mihi certum eſt, hodie longè abeſſe à mari. Cui ego: Nolo te ægrimonia afficere. verumtamen ſedeamus in calopside ad proſpectum maris: ni hoc quasi baſiliſcum, quem viſu, ajunt, necare homines, perhorreſcis. Ille verò: Æquiſſimum oras. veniam haud gravatè. non enim sic ſum, ut quasi baſiliſcum mare pertimeſcam. Nihil igitur morati, in hortum

tum deſcendimus, cumque per Xyſtum tranſiſſemus, in calopsidem tandem venimus: inquam vix perventum eſt, cum piſcatoriam cymbulam aſpicio. erat in ea piſcator quidam jaculator mihi benè notus, qui fuſcina, quam mira arte jaciebat, piſces venabatur. quare ad Quinctium; Rogitemus, si quid piſcium habet. At Quinctius: Quid opus eſt piſcium? Ego verò: Si pauxillum potes contentus eſſe, nõ opus eſt piſcium. Tum ille: Næ, perpauxillum modò. quinimò ad valetudinem tuendam confert quamplurimum, si interdum incœnatus cubitum eas. nimirum si quæ ſunt incoctæ ciborum reliquiæ, ſtomachus concoquat. quare, quod quæsivi appenito. me iſthæc Platonica cœna melius recreabit: Cui ego: Si sic animum induxiſti tuum, morem geram. imò mihi gaudeo, tibi verò gratulor iſtuc ſciendi desiderium. fies vel tu Muſarum ſtudiosior; quas quidem te deſpicatui ducere, nequeo ſanè concoquere. Tum ille: Nempè tanti eſt cum eruditis verſari: velis, nolis illos imiteris, opus eſt. Cui ego: Auſculta modò: Ille verò: Perge porrò. tibi dabo vacuas aures. At quoniam duriuſcula iſthæc ſubſellia, & ab Sole benè calida, curabo, si jubes, ut colonus binas hùc ſedeculas afferat, & illas è palea contextas: quippè molliores. Cui ego gratiſſimum mihi facies. sint verò humiles, ut commodè ſedeamus. altiores odi quam maximè, quibus incõmodè ſeſſitamus quotquot brevi ſtatura ſumus. cum verò ſediculas agricula attuliſſet, ego in ultima ſedere volebam; ſed vetare adniſus eſt Quinctius, sine, inquiens, faciã quod decet: ego enim imi ſubſellii vir ſum, quippè inferior tum ætate, tum dignitate. Ego illi: actum agis. jam ſedi. Age sis de quæsito nunc videamus. Et ſanè quid sint Adamantes certò definire perdifficilè. nam ſi rupium nodos dixeris ipsis cum rupibus generatos; cur non ru-

pes

pes omnes hujuſcemodi nodos habent? cur non affixi rupibus? cur etiam in agris ſunt, atque in arena? ſi verò nobiliores terræ particulas ſtatuas, ut eſt marmor, ut ſunt reliqui lapides pretiosi: cur perlucidum eſt? cur ad aqueam naturam magis accedit, quam lapidis? Hoc loco Quinctius sic mihi occurrit: At montana cryſtallus perlucida eſt, & aquæ ſpeciem præ ſe fert: & nobilior licet, nihilominus terra eſt. Cui ego: Iſtuc tibi minimè concedam: imò verò concretum eſſe humorem pro comperto mihi eſt. atque hinc ejuſdem naturæ adamantes eſſe non sine probabili conjectura cõficio. Etenim si in concharum gremio humor in uniones concreſcit: si in capite complurium tum aviùm, tum piſcium ex condenſo humore lapides fiunt: si in nobiſmetipsis ex aqua, maximo noſtro malo, lapides generantur, & quidem duriſſimi: qui fiet, ut non etiam in rupium viſceribus idem humor in adamantes denſatus evadat? Præterea si corallium aqueus frutex eſt cõcretus; cur non item adamantes ex humore conſtipato fieri concedamus? Hic Quinctius. Aſſentior prorſus: neque habeo, quo huic rationi occurram. Cui ego: Verum alia ſunt, quæ dictis fidem adjungunt. Et ille: Perge ad ea. Tum ego: Nunc id operam do. Adamantes, ut alias dixi: & te meminiſſe facilè credo, pro terrarum colore, in quibus reperiuntur, colorem variant. Et ille: Nimirum memini. ſed quid hinc conficis? Cui ego: Ex earundem humore coagulari, ac concreſcere. Etenim si ita ex illis colorem ducunt, ut è livente liveſcant, è rubra ſubrubeant, atque è viridi vireſcant, jam illarum ſoboles ſunt, cujus præ ſe imaginem gerunt. Quinimò si inſtar glaciei nævos induunt, ejuſdem certè naturæ erunt. Tum Quinctius: Do tibi & iſtuc. Verum unum eſt, quod mihi ſcrupulum injicit, quem velim evellas, si concretus humor eſt Adamas,

cur

cur adeò durus, ut ſcindi nequeat? quare factum adagium, Adamantinus. quod in rigidos, atque inexorabiles jactari ſolet. Cui tum ego: Quid mirum! quot enim ſunt lapides ex humore concreti, qui rigent duriſſimi? nempè minus aeris, & terræ minus habent, atque ob id duriores, ut adamantes. Tum Quinctius: Teneo iſthæc: de magnitudine nunc videamus. Cui ego: Faciam illicò. Quia verò ex majoribus hactenus inventis, deduci facilè poteſt in quantam molem proveniant, duos recenſeam omnium maximos. Primus eſt in Asia penès Magnum Indorum regem, quo ille uno multarum inſtar gemmarum coronam insignit. Hic verò ſeptem, & decem drachmas cum dimidia pendet. eſt autem quà viſu, quà figura pulcherrimus, nisi quod nævo notetur, quo si vacaret, nihil illo aut pulchrius, aut pretiosius eſſet. Tum Quinctius: Dic, quæſo, quanti extimatur? Cui ego: Quadragies centena millia centuſſibus. Alter eſt in Europa apud Magnum Ducem Etruriæ, qui pendet drachmas novem. figura eſt multangulus, immuniſque à nævo: attamen color nonnihil viridaſcit. extimatur decies centena millia. Cum verò his majores hactenus neutiquam inventi sint, colligi benè poteſt, haud facilè majorem in molem concreſcere. Hæc cum dixiſſem, Lucilius ſupervenit, cœpimuſque deambulare per Xyſtum.

CAPUT VII.

Antigenis adventus in Surrentinum narratur. cujus gratia carmen de equorum delectu, atque exercitatione equeſtri cujuſdam nobilis adoleſcentis Parmenſis Seminarii recitatur. mox quæſitum cur equi dum anteriora crura ſurrigunt, quam facilè eo ſitu conſiſtant.

QUodam manè circiter Idus Octobris ſedebam ſub teſtudineato fornice hortuli noſtri, atque adentidem contemplabar amœniſſimum quaquaverſus proſpectum, ut neſcio quam animi ægritudinem, quà ſolito plus afficiebar, illa mentis vagatione deco querem. minus enim curæ premunt, mordentque minus ſi ab illis aliò animum avertas. tantus autem erat tum animi mœror, tum corporis laſſitudo, ut meritò vererer ne me morbus invaderet. ineiderat enim mihi in mentem illud Hippocratis, *κόποι ἀυλόματοι φράξουι νόσους*: nimirum ſpontaneæ laſſitudines morbos prænuncient. id verò ſive ſolitudinis tædio, ſive hypocondrica lue ceciderat, animi ſum dubius. dum ita mentem ab ægritudine avertebam, phaſelum rectà ad me venientem animadverto. quo conſpecto, cœpi illicò evolvere quis eſſet, quem ille adveheret. nullus enim me de ſuo adventu certiorem fecerat: nec facilè erat hominem perpaucorum hominum convenire. quia verò luſcioſus ſum oculis, ut remota vix videam, viſorium tubulum, quem ad hunc uſum geſtare mihi mos eſt, è marſupio edueo, explico, interſtitiis ſuis apto, oculoque admoveo. vix admovi, cum Antigenem virum de re literaria optimè meritum, quasi per nebulas mihi videor videre. mox ut

pro-

propius acceſſit, illum ipſum eſſe manifeſtè conſpicio. quocirca in ſcopulum derepentè convolo, in amplexum amiciſſimi viri ruiturus. Nec ſanè diù in ſcopuli crepidine ſubſtiti, hominem opperiens: etenim curſu quam velociſſimo acta phaſelus pervolabat: nempè in remigando nautæ acriter connitebantur. Ille ut tandem exilivit, me benevolētiſſimè complectens; Salve, inquit, vir ornatiſſime, Muſarumque delicium. Cui ego: ſalve amicorum optime, ſalve vir oculiſſime, noſtræq; urbis decus quam maximum. simulq; hominem rogo, rectène valeret? Et ille: Belliſſimè. Cui tum ego: Voluptatem mihi nuncias. Ego, ſi rogas, optima hucuſque uſus ſum corporis valetudine, ut antehac melius nunquam. verumtamen non multis ab hinc diebus inſolens invasit animum ægritudo, quam modo mecum ipſe decoquebam. nam nemo unus hic loci amicus eſt, è cujus conſortio levamen aliquod eſſe poſſit, & quicum curas partiaris. Tum ille: Rem mihi ſanè quam acerbam narras. At bono sis animo: in tempore venio, ut in me, quem ſcis tui amantiſſimum, curas omnes deponas, atque una ſaltem diecula ſubleveris. Cui tum ego: Hui! tam brevi tempore apud me manſurus es? Ille verò: Ultra negotia, quibus præpedior, non sinunt: neque enim patrem familias decet domo ſua diutius abeſſe. tot mihi in foro tricæ, tot domi curæ, ut vacui temporis nihil habeam: vixque, mihi crede, dieculam iſtã ſuffurari potui. Nec ſanè veniſſem, nisi diutinum tui desiderium me torqueret. quam maximè enim geſtiebam te videre: avebamque tibi præſens præſenti ſalutem dicere: per literas feceram ſæpiuſculè. ſcis enim nihil mihi antiquius fuiſſe amicitia noſtra. Cui ego: Intelligo ſanè: perque illam te rogo, atque obſecro, ut ſaltem cras etiam manere apud me velis. locus, ut ipſemet inſpicies, eſt maximè genialis, & à turba,

atque

atque interventoribus vacuus omninò; ut quiete, quam tibi vel maximè cordi esse scio, frui commodissimè liceat. nec, quæso, patere ut ephimera sit mea voluptas. Et ille: Obsequi tibi in hac re neutiquam possum: siquidem die crastini cum viro quodam gravissimo colloqui constitui, qui ex longo me conventum expetiit. Hæc dum colloqueremur, ascensu, & longulo, & acclivi superato, in calopsidem venimus: ex qua Antigenes jucundissimum prospectum contemplatus: Quidni, inquit, sedeamus hic parumper, ut liberiori cœlo, prospectuque isto perquam pulchro perfruamur? Cui ego: Fac, ut tibi lubet. Cum verò lævum mihi latus claudere vellet, minimè passus sum, sed sinister sedi.

Postea verò quam consedimus, Quid novi ex urbe apportaret? rogito. Et ille: Nihil admodum habeo præter ea, quæ in tonstrinis, ac triviis jactantur: quæ quidem Siculis gerris vaniora, ac mera mendacia sunt. quorum ad te totos modios, imò navem afferre potuissem. Verum, agesis, quid tu in hac solitudine, ac tanto tempore? Bellicis, opinor, fastigium imposuisti. fac, quæso, quamprimum in lucem edas: expectantur enim summo studio. præterea velim ut de reditu maturè cogites. vix jam amici diuturnum tui desiderium ferunt: neque fas est tibi à conspectu maximi amicorum diutius abesse. Cui tum ego: Fruor hic eo otio, quod scis mihi laboriosissimũ esse: & quo mihi ætas per tacitum fluit. λανθάνω βιώσας, ut Græci dicunt. Sic nulli noceo, nullum contristo, dumque aliorum oculos effugio, offensionem vito: sic enim sunt tempora, ut latere plurimum conducat. Bellica eo statu sunt, ut cum illis brevi mihi pax futura sit. per te tamen intelligis, Sat citò, qui sat benè. & sanè vereor, ut expectationem fallant, inque illis eruditi Authorem

quæ-

quærant. Cæterum de reditu jam cogito: Etsi haud libenter: mirum quantum me urbis tædium cœpit, imò & rerum omnium humanarum. nam plausus, honores, commoda, & si quæ sunt alia, nihil moror. mihi crede, secundum te nihil mihi est amicius solitudine, quæ una mihi animi tranquillitatem parit, & partam fovet. Et ille: Credo equidem; in te enim simulatio non cadit, quem semper apertissimum intellexi. Tum ego: Sed tandem eamus domum, nam, ut vides, altior hora est. Eamus, tum ille. statimque per Xystum perpauculis passibus illum domum deduxi. In quam vix ingressus, me curiosè rogat, quodnam meum esset cubiculum? Cui ego: postremum siniſtræ ambulationis indicans, Hem, inquam, illic habito. Ille verò cum ad illud ipsum perveniſſet; Hoc, inquit, Musarum illud sacrarium, hoc Asylum illud pacatissimi otii sequestrum, hoc Elysium tuum. complector sacrum limen, veneror Musarum omnium chorum, præsidemque ipsarum Apollinem. Vellem hic, Parthenie, bona tua venia, pro foribus dextra Parnassum cum Pegaso, aquam ungula eliciente appingi, læva Pindum, ac Tempe, mediumque interfluentem Peneum, ad cujus viridissimas ripas canentes Musas, saltantes Gratias, Apollinem verò pulsantem lyram graphicè interpingi, hac cum epigraphe,

Hic Musis locus ille, & Phœbo cognitus, ex quo
Artem Piscator, Navita, Miles habet.

Cui tum ego: Bona verba! tantum non insanum me dicerent, quibus de plaustro loqui mos est, si id facerem. Ille verò: Imò factum laudabunt. cui enim non cognita, perspectaque est tua modestia? At ego: Benevolè tu quidem: sed aliis idem videbitur secus: atque ob id totum genuinum in me frangerent. statimque cubiculum ingressi sumus. quod simul ac contempla-

tus

tus eſt, Quam bellus, inquit, locus iſtic, quàm accomodus ad ſcribendum! quàm genialis! hic ad menſulam ſedens læva feneſtram habes, quæ vergit ad Occidentem, ex illa Surrentum, & amœniſſimi colles, quibus urbs præcingitur, in obtutũ cadũt: dextra fores reſpondent, tectà in ſubdialem ambulationem patentes: ex illis tibi Oriens conſpicuus, & Surrenti campeſtria, objectique ſunt colles Vici Æquensis. contrà altera patet feneſtra ad Septentriones, ex qua mare viſitur, & noſtra Neapolis. nihil ſanè æſtate alſius, nihil amœnius eſſe poteſt: ex omnibus enim angulis & proſpectus habet, & Zephyros excipit. quinimò quaquà oculos circumferas, viridantes tibi arbores occurrunt, qui virore ſuo & pulchro, & vario, hebetem præ labore tum oculorum, tum mentis aciem exacuant, vigoremque animis ſubminiſtrent. ipſæ etiam argutæ frondes, dum Zephyris animantur, ſibilo ſuo, quasi ad numerum accomodato, te ad canendum invitant. si meo genio vivendum eſſet, præ hoc eligerem neminem. Jam tandem intelligo quid in cauſſa ſit, cur tantum te Surrentinum otium delectet, & cur tam libenter te huc venientem uniuerſus Muſarum chorus comitetur. Poſtea verò in menſulam oculos conjecit, cumque in ſcripta incidiſſet, Bellica, inquit, iſtæc certè ſunt. Cui ego: Rectè conjectas. Tum ille: Fac, quæſo, ut recites: etenim cupidiſſimus ſum carminum illorum. Ego verò: Imò rogo, ut lubeat audire: nempè ut si quæ minus placent, iterum perpoliam: ut enim benè intelligis, plurimi facio judicium tuum, quippè hominis aperti, & eruditi. Locus autem hic, quem nuper abſolvi, mihi videtur non malus. eſt autem de equorum delectu, atque equeſtri exercitatione cujuſdam adoleſcentis lætę indolis, ingeniique perquam rari, in quem incidi in Seminario Parmenſi, cum Italiam peragrarem. Tum

Antigenes : Iſtuc maximè desidero . Accepi enim à Galvæo tibi , mihique amiciſſimo , illius loci juvenes, quos modeſtiſſimos æquè , ac diligentiſſimos prædicabat, tuis operibus quam maximè addictos eſſe . Cui ego: Fateor equidem me Nobilibus illis quamplurimum debere, qui adeò me amant,ut attritus illic penè sim . verum auſculta modò . ille verò : Hic ſtò . Ipſe , ut ut carmen erat, hunc in modum recito .

Ergo ſuis ubi cinctus eques ſplendeſcit in armis ,
Inſequitur labor alter, equum legiſſe ferocem :
Multaque delectu in tali tibi cura adhibenda eſt .
Nam ſi bellacem, facilemque ad frena, pedeſque
Pernicem ſortitus equum pugnator equeſtris ,
Promptus & ipſe ducis mandata capeſſet , & omnem
Ire viam poterit, verſuſque, & ſigna tenere ,
Acer & in Martem aſſurget, pugnamque ciebit .
Idcircò primùm ſtudio conabere multo
Quærere equũ inſignem, factumq; ad munera Martis.
Sed quibus indiciis talem dignoſcere poſſis ,
Accipe, non multis properans ad cætera, dicam .
Sit tibi procerus ſonipes, & corpore magno
Seſe verſet, agens : pulchroque ornetur amictu :
Eſt etenim certum ſpecies externa repoſti
Argumentum animi . potior ſic villus habetur ,
Cui color ex albo fuſcus, nigriſque frequenter
Diſtinctus maculis: vel ſit ſpadiceus auro
Immixtus: nigra melior ferrugine tinctus .
Altior emineat cervix anguſta; jubaque
Ex armiſque cadant, colloque volumine longo .
Sintque pedes nervoſi, agileſque, & pectora lata.
Non pavidus, viſo ne fors tibi reſtitet, ipſo
In curſu : duro nec frænos ore recuſet :
Neve ferox nimium inſultet , non calcitret aſper :
Sive pati renuat Dominum, & parere lupatis .

Ve-

Verum tam facilis, quam ſit generoſus: & acer
Exultet, capiatque animos clangore tubarum:
Et certamen amet, curſumque intendat in hoſtem:
Ac cades inter gaudens, fuſumque cruorem,
Acrior urget ubi Mavors, ſeſe inferat ultro.
Sit curſor, patienſque ſitim, & jejunia ferre.
His animadverſis, confeſtim ea cura ſequetur:
Nimirum Mavortis equos ad munera lectos
Inſtruere, & domitus crebrò exercere palaſtra.
Nam velut in vacuo praludens æquore tiro
Aſſueſcit ſenſim bello, & formidine pulſa,
Qua non ſueta armis pertentat pectora, primas
Cum pugnas ineunt, & quid Mars experiuntur,
Induit audaces animos, ipſumque per uſum
Difficiles paulatim artes, & prælia diſcit.
Non aliter ſonipes domitura doctior, æquor
Proſilit in medium, faciliſque ad juſſa Magiſtri
Se varios agit in gyros, quaque actus habenis,
Pronus ſit, atque fugam pulſus calcaribus urget.
Et certaminibus, tonitruque aſſueſcit, & igni.
Quin & eques pariter ſit equeſtri inſtructus ab ar- (te;
Vt ſic poſſit equum ductare in prælia, & illum
Nunc ſtimulis cunctantem urgere, & flectere in orbē:
Nunc & contractis franis retinere volantem:
Addere nunc animos clamore, citatior hoſtem,
Vt ruat adverſum: nec fulmina rauca, nec ignes
Horreſcat, pilive aciem formidet acutam.
Nunc blandus palpo, & poppiſmate placet amico,
Vt ponat calidaſque iras, animoſque feroces.
Quæ cum ſic habeant ſeſe, Proconſul, equeſtri
Nullus nobilium, plebiſve ornetur honore,
Ni prius in ſtadio domituram edoctus equorum,
Experimenta dedit tibi plurima, ſe quibus artem
Egregiam didiciſſe probet. Quin proderit urbi

Magnifico ſtructa ſumptu ſi ſemper equorum
In plano pateant campo, Xyſtoque palæſtra.
In quibus inſigni ſub præceptore inventus
Egregiam artem, & diſciplinam diſcat equeſtrem.
Et quibus infranes pulli domitentur, & artem
Ipſi etiam patriam, & Mavortia prælia diſcant.
Me quondam Parmæ memini ſub mœnibus altis,
Æmiliæ quà rura virent campeſtria, & inter
Paſcua mille greges, armentaque læta pererrant,
Amplam, magnificam, luxuque, atque arte ſuperbam
Cornipedum inſtructam domitu vidiſſe palæſtram.
Qua nitida juvenes exercebantur arena,
Indomitoſque ſimul pullos ad frena vocabant.
Quin etiam luſus nonnunquam ludere equeſtres
Magno affectabant plauſu, & clamore theatri.
Eſt domus ampla, nitens, mediaq; aſſurgit in urbe
Porticibus præcincta altis, ſaxoque ſuperba
Barbarico, pictiſque renidet plurima ſignis.
Hic flos nobilium ſtudio delectus ab omni
Auſonia, cœtu ſociali, & legibus jiſdem
Vnanimi degit conſenſu, atque omnibus una
Mens eſt, ingenium excolere, aſſiduoque labore
Ardua conniti quæſitum arcana latentis
Naturæ: nec eo ſtat curam adhibere minorem
Ingenuas Muſarum artes, & jura doceri,
Civileſque ſimul cultus, quæque indole digna
Patricia, & belli quacunque aptantur ad uſus.
Et quoniam vires animo facit æmulus ardor,
Fervet amor cunctis ſtudiorum, & nobilis oti.
Hinc juvenum culti mores, & principe digni,
Mens acris, generoſa, animoſque edocta mereri
Officiis, ſtudiiſque exculta, & Palladis arte.
Hinc & tantus amor docta præludere arena:
Et modo cornipedem curſu domitare ferocem:

Et

Et ſimulata modò ſtimulare in prælia: & hoſtem
Vrgere, atque animos ſonitu irritare tubarum,
Et ſclopi tonitru, & nigro conſueſcere nimbo.
Hujus ego pubis memini, & meminiſſe voluptas,
Egregium forma juvenem ſpectaſſe palæſtra
Hac ſe exercentem curſu, pulchrumque domantem
Cornipedem. Primo vernabat flore juventa,
Faſcibus inſignis majorum, opibuſque ſuperbis.
Humana major ſpecies, & plurimus olli
Præfulgebat honos oris, venerandaque frontis
Majeſtas, oculique ardebant iride pulchra.
Aurea caſaries non ſeſe pendula collum
Per niveum laxabat: erat ſed tortile flexu,
Inque modum plecta circumreligata rubenti
Tænia, ut illius lex eſt ſanctiſſima cœtus.
Sed ſpecies neglectus erat non ultima. celſum
Fibrina caput ornabat de pelle galerus.
Serica quem circum argentoque, auroque retexta
Vitta incingebat, flocco prædivite fulgens.
Sed quam pulcher erat juvenis, tam rara modeſti
Oris erat ſpecies, & gratia amica pudoris.
Idcircò Muſis, & Phœbo gratior alter
Non illo inſignes inter degebat alumnos:
Eſſent & multi quamquam, & florentibus annis,
Indoleque, ſpecieque, & Palladis arte decori.
Quin & Martis amor, laudiſque immenſa cupido
Olli erat: ingenteſque animo res præcoce partu
Edere jam puer affectabat, ut inclyta facta
Majorum cumulare novis per Martia poſſet
Prælia, perque ſua palmas virtute relatas.
Illum, inquam, memini ſtadio vidiſſe decoro
Exercentem equitem inſignem.

Hic Antigenes sic interpellat: Scitè tu quidem equitem poſuiſti pro equo: mos enim veteribus Latinis fuit,

ut equum habentem ſeſſorem equitem etiam appellarent: ut eruditè notat Gellius, quem te lectitaſſe non dubito. Cui ego: Rectè conjectas, atque iſtuc à te meæ aures exſpectabant. ſed pergam, ut cœpi. Et ille: Imò rogo: ut facias. sic igitur filum retexo:

cui villus ab albo
In fuſcum vergebat, eratque interlitus atris
Hac, illac maculis, alta & cervice ſuperbus:
Atque jubis ibat magnis, & pectore lato.
Ipſe ſedens habilis, medioque immotus ephippio
Attalico è filo intertexto, auroque coruſco,
Et gemina inſiſtens erectus ſtapede, luſum
Sic, tota juvenum circumſpectante corona,
Incœptat: Virga ſonitu nunc mollior urgens
Cornipedem binis agitat decurſibus: & nunc
Circuitu verſat longo, totumque per orbem,
Per calcata ferens veſtigia: nec magis unguem
Seu latum dexra deflectens, ſive ſiniſtra
Pernici torquet curſu, mirabile viſu.
Nunc gyri medium ſimul ac perfecit, anhelum
Ilicet inflectit ſua per veſtigia retro.
Nunc redit, alternaque fuga curritque, recurritque,
Et labirynthæos depingit in æquore flexus.
Et premit interea calcaribus, & citat alta
Irritans voce, & laxis dat currere habenis.
Mox inhibet curſum, & multo ſudore fluentem
Siſtit, agens læva frænos citus ilicet ad ſe.
Scilicet exhauſtus curſu revocetur ut acri
Spiritus, & docto diſcat parere Magiſtro:
Vtque è veſtigio ſueſcat ſubſiſtere curſu
Nec tanto indignus ſonipes ſeſſore, repentè
In tergum incubuit, ſtetit ilicet, & tenuit ſe.
Hinc ubi tantiſper requie inſtauratus amica
Spiritus eſt, molliſque abſceſſit corpore ſudor:

Et

Et demulſit equum juvenis poppiſmate, luſum
Rurſus init, ſimul hæc: Noſtra quicumque juventa
Hi luſus fuerint, noſtri quæ gratia cœtus
Partheniis grati Muſis, Vatique dicamus
Parthenio, noſtras qui nunc inviſere ſedes,
Luſibus & noſtræ dignatus adeſſe palæſtræ.
Contrahit hinc frænos, & ſignum flexile virgæ
Cornipedi facit, atque in ludum invitat equeſtrem.
Tunc ille edoctus nutum, quemcumque dediſſet
Inſidens dorſo puer, exaudire, repentè
Anteriora jugo ſubſtollens crura ſub uno
Porrigit in ſublime, hæretque immotus: & inde
Deprimit, ut juveni viſum eſt: rurſumque ſub auras
Surrigit illa: tenens incurva, & pendula niſu
Tam facili, mira quàm perficit arte. jubato
Intereà collo, & capite arduus eminet alto
Arduus & juvenis ſimul eminet: & ſtat in ipſo
Immotus dorſo, & ſtrictas moderatur habenas.
Mox, velut ad numerum docta ſcitiſſimus arte
Arrigit alternis, & deprimit utraque crura;
Anteriora prius, mox & poſtica. videri
Haud equidem quidquam poterat jucundius illo.
Dein citus agglomerat, dictu mirabile, & æquor
Lege ferit certa: veluti qui tympana pulſat
Ictibus alternis, moduloſque alternat eiſdem.
Et ſalit, & reſilit ſua per momenta: choreas
Ad numeros illum dixiſſes ducere equeſtres.
Tandem ſigna dedit cum virga ſeſſor, anhelus
Conſtitit, ore jacens ſpumas, & naribus ignem.
Vt ceſſavit, equo plauſerunt murmure ovanti,
Emeritaque equitem vexere ad ſydera laude,
Quotquot erant ſocii, juvenum lectiſſimus ordo:
Quotque graves aderant patres, doctique Magiſtri,
Delecta commiſſa quibus ſtat cura juventa:

Artibus humanis omnes, ſtudiiſque Minervæ:
Et multa inſignes pietate, & moribus aureis.
Aſt ego promeritas tanto pro munere grates
Reddere promiſi: promiſſaque carmine ſolvo
Hoc, quodcumque mea memores ſcripſere Camœnæ.
Fortunate puer, vivent ſi carmina noſtra;
Nam ſimul ipſe illis ventura in ſecula vives.
Plura tibi: magnum ſed ſtat percurrere campum,
Quà vix ulla patent veſtigia trita priorum:
Et Mars urget equum, & rauco tuba murmure clãgit.
Quin & plura forent, quæ poſſem dicere equorum,
De cultu, domituque, & ludi plurima equeſtris:
Ludere ſeu Trojam affectas, plauſumque referre:
Collimare velis ſeu currens præpete curſu
Annulum in appenſum, & rectà dexterrimus haſtam
Inſerere, emeritoque frui clamore theatri.
Quæ tamen incœpto properans inſiſtere curſu
Prætereo, atque aliis poſt me dicenda relinquo;
Muſa quibus facilis, tanti nec cura laboris.

Vix dùm recitavi, cùm Antigenes: Digna quidem, ut ea univerſum Gratiarum agmen feſtivis ſaltibus proſequatur, ipſeque lyra ſua dignetur Apollo. mirum in modum affectus ſum ſtylo iſto tuo & nitido, & facili. Ego vero: Phy! Non certè amici arbitrium, ſed judicis, & quidem Areopagitæ ſententiam expectabam. Ille verò: Num quando tibi aſſentator fui? ut ſentio, sic loquor. Cui ego: Fateor equidem: verùm ſæpenumerò præpoſtera ſunt noſtra judicia, cum de eo ſententiam ferimus, quem amamus. quemadmodum enim color in oculum, sic amor in mentem vitium inducit. Ille verò: Imò tua modeſtia facit, ut de te ita ſentias. Ego verò: Mittamus iſtæc ridicularia. Liceat per te mihi in culinam me ſtatim corripere, ut tibi prandium apparem ex tempore, ne tardius, quam par ſit, comeda-

damus. Tum ille, ut vir eſt ſale conditus,& facetiis,atque omnium horarum homo: Hoc, inquit, Parthenie, verè eſt ab equis, ut ajunt, deſcendere ad asinos. Cui ego: Perquam lepidè tu quidem. illud verò mihi non rarò accidit, cùm è menſula literaria ad abacum culinariam tranſeo: & vel fercula adorno, vel ſubigo panificia: redeoque interdum admodum ſordidus, ut vix me Muſæ dignentur excipere. Et ille: Ah, ah, ah, vah! quid audio? poëta coquus. Ego tum illi: Imò non planè malus. Ille mihi: Vix credo. Ego verò: Palato periculum facies. Tum Antigenes: Verum si ità eſt, ut prædicas, mirum ſanè quod tua carmina culinam non ſapiant. Tum ego: At iſtuc verè eſt ſapere, deſcendere interdum ab equis ad asinos, atque ab his iterum ad illos aſcendere, & quidem non sine laude. Ille verò: Laudo Minervam tuam ambidextram. Cui ego: Ambidextram? imò vix dextram. Et ille: Quorſum iſtuc! Et ego: Quia ſiniſtram decoxi. Tum ille: Nil mirum: id enim coquis ſæpiuſcule contingit. ſed cedo, quid fuerit in cauſſa? Tum ego: Dicam equidem, ſed compendio, it enim dies. Focus præ terremotu penè dirutus, ut vix in illo tripus, qui & ipſe claudicat, vix olla pultaria conſiſtant. iſtæc autem adeò attrita,ac pervetuſta; ut meritò crediderim aſſeruari, quasi fumoſas verè imagines majorum noſtrorum. Cum igitor ollam amovere vellem, hæc fallente plano ſubverſa eſt, inque ſiniſtram jus omne ferventiſſimum effuſum. Hic Antigenes: Tuæ iſti calamitati magnopere indoleo. cæterum miror ſanè tuam parsimoniam. cæteri ob rem culinariam decoctores fiunt, tu vero decoctus. Cui ego: Vera prædicas: ne alendo coquo ſtipem perexiguam citò decoquerem, memetipſum decoxi. ſed utinam hinc fiam decoctus ſenex. verũ sine, ut eam. Ille verò: Per me nulla eſt mora. verùm illud ſcias velim,

lim,me cõvivam minime edacem, bibacem multo minus; quare cave ne quidquam præpares præter quotidiana. Sit menſa,quæ non Craſſum,vel Lucullum,multo minus Apicium ſapiat: ſed Pithagoram, ſed Platonem tuum, & si vis, etiam Diogenem. Hic ego: Ohe, adeò me ſordidum putas? si non profuſus, cimini ſector non quidem certè. Et ille: Non eò dixi, quo veniat in dubium genius tuus perquam ſplendidus: ſed nolo,ut mei cauſſa nimium defatigeris. Tum ego: Nihil admodum adornabo, præter ea, quæ ſunt ad manus. Et ille: Videlicet. Ego verò: Veſpolus vir amiciſſimus, idemque munificentiſſimus, quasi divinaſſet, fore, ut à te inopinatò opprimerer, primò manè misit ad me munuſculum elegantiſſimum, & huic diei, qui Veneri ſacer eſt opportuniſſimum. Tum Antigenes: Novi profectò eximiam hominis erga te benevolentiam. Sed dic, ſodes, quid ad te tranſmisit? Tum ego: Mullos duos barbatulos librarios. Tum ille: Benè planè factum; etenim hi librarii perquam bellè conveniunt eruditis. Ego verò: Sed capti ad Sirenuſas; atque idcircò ſaporis exquisitiſſimi. Ille verò: Nec abhorrent à Poëtis,qui Sirenas æmulantur. At ego: Bellè argutaris. illos jam Neapolim deſtinaveram ad amicum illum,cui ſcis me plurimùm debere,quippè illi multis nominibus obſtrictus. Et ille: Iſtuc expectabam. erant illo digniſſimi. ſed pro his magnum illi poculum propinabimus. age porrò, quid præterea? Tum ego: Gambaros quamplurimos ex eodem mari, qui Lubrensi oleo quadriennio ab eodem mihi miſſo, frixi, & delicati ſunt, & ſapidi. Tum ille: Quid ultra desideres? Cui ego: Mane, nondum. Ille verò: Etiamne amplius? Ego verò: Admodum. his enim elidium adjunxit. Hic ſtatim Antigenes: Jugulum Thynni dicis? Et ego: Illum ipsiſſimum. Et ille: Si ita eſt:

cœ-

cœnabimus genialiter: siquidem Jugulus in recenti Thynno laudatiſſimus. Tum ego: Addam pro pulte paſtillos eſculentos, quos amicus quidam Amalphi rediens, ubi optimi ſubiguntur, dono dedit. illos conſpergam caſeo Calabro exquiſitiſſimo, qui ex flore lactis bubali coagulatur, *Raſcham* dicunt indigenæ. nihil illo ſuavius, delicatius nihil eſt: præ teneritudine vix radula in ſcrobem atteri poteſt: in hypocauſto, quasi butyrum liquatur. illum mihi è Calabria redux attulit vir quidam amiciſſimus, idemque feſtiviſſimus, qui biduo hic ſuis me facetiis recreavit. eſt enim ad omnem leporem factus, idemque argutiſſimus. Hic Antigenes: Tu me excipies in lautitiis, &, ut dicitur, mulſo, & placentis ſaginabis jam menſa Lucullum ſapit, videmurque curare cuticulam? Cui ego: Verum quid præ illa parcius? quippè, ut vides, tota emendicato eſt. Mane parumper. hùc mox revertar. Et ille: Ità, quæſo. Ego verò rectà in culinam proficiſcor, puerumque compello, Heus, heus tu, Fabiole? quid ceſſas verbero? nondum etiam? ubi latitas? procede furcifer. cumque ad ravim uſque exclamaſſem, ille neutiquam reſpondit. quocircà per feneſtram inſpicio, ſi fortè eſſet in platea: videoque illum ludentem cum Tubiolo, eo genere ludi, quo pueri denarios in ſublime jactantes exclamant Capita, Navia. quem cum vidiſſem, fateor, me ſtomachum funditus perdidiſſe: nec tenere me potui quin ſubinatus illum ſeveriſſime corriperem. mox jubeo aſcendere. Ille non auſus me congredi, antequam ſtomachum detexiſſem, lentè admodum, ut timidi pueri faciunt, procedebat. At ego: Teſtudineo ne gradu furcifer? move te ocyus: Ille verò audaculus: Non poſſum, inquit, ſorbere, & flare. Cui ego: Sententiaſne loqueris ceſſator? tandem ut venit. Age, inquam, trifurcifer, foculum bucca exi-

ta-

tato, tripodem igni imponito, quo claudicat, pedem ſupposito ſaxulo obfirmato: adde illi ahænum, aquam infundito, & opercula. cum verò cœperit ebullire, me admone. Tum ille, cui gratiſſimi edules paſtilli, & quod erat ſuſpicatus, exhilarata jam fronte, Faciemus, inquit, paſtillos caſeatos? At ego, refrigerata pariter iracundia, ut illum ererem, tergiverſatus, nonne purgandæ ſunt lances? tergito item cochleare cribrarium: carbonem ſubmittito: ſartaginem, craticulam mundato, has ſcutellas repone in armario, fictilem illam teſtudinem aſſeruato: expedi abacum, pavimentum ſcopis verrito: fac ut cuncta niteant; nam me vir honeſtiſſimus convenit. tenes omnia, furcifer? Et ille: Teneo: curabo cuncta quam citiſſimè, dummodò paſtillos adornemus. Cui ego: Paſtillos? imò lapides. jejunabis quippè.

Poſtea verò quam omnia adornaveram, ad Antigenem redeo. ille ubi me linteo amictu præcinctum vidit, non ſine riſu. Apage, inquit ab hoc Muſæo cum iſto ornatu: nam si ſecus à Musis vapulabis. Cui tum ego: Iſtuc ſanè timerem, ni illæ huic ornatui aſſueviſſent. mox peto quid intereà lectitaſſet? Et ille: Nihil admodum: illud tamen animo verſavi, qui fieret, ut equi dum antica crura ſurrigunt, ac veluti in ſublime conſurgunt, in illo ſitu, qui alioqui illis haud quaquam videtur accomodus, tam facilè conſiſtant. Age porrò, cedo, si quid ad hanc rem habes. dumque tibi Sphingem præſtiti, tu mihi sis Oedipus. ſapiunt iſta profectò Mathesim tuam. Tum ego: Morem geram lubentiſſimè, quamquam Dauus sim, non Oedipus. attingam verò rem perpaucis; nam, ut conjicio, jam tibi latrat vēter. Ille verò: Conjectares rectè, nisi ego aſſueviſſem. Tum ipſe: Aliter mihi accidit: idque vitio luis hypocondricæ. breviter ergo contendam, quod petis, effi-

ce-

cere. Corpora universa, quæ gravia dicimus, sic sunt, ut suapte natura in medium ferantur, ex quo efficitur, tum rectà consistere, cum linea, quam directionis Geometræ vocant, per ipsorum centrum transit. si secius, ruent. ità nos cum directi in hac versamur, consistimus, si verò nos obliquè inclinamus, cadimus illicò. Cum verò equi ità sese in sublime arrigunt, hujuscemodi linea per media illorum corpora descendit; indeque fit, ut quam facillimè consistant. illo enim corporis positu, æquatis veluti ponderibus, permanent æquilibres. Tum Antigenes: Sic opinor. atque hinc fortassis spontaneus ille in nobis motus, ut cum in unam partem inclinamur, in alteram se manus, & pes confestim sua sponte jactent, & quam longè extendant? Tum ego: Rem ipsam putasti. Eo enim motu natura præcavet, ne ruamus. sic enim facto corporis æquilibrio, consistimus, casuri, si secus. verum quia appetit duodecima, mensam instructum ibo. Tum ille: I præ, sequar ipse mox; sicut enim in prandii, ità & in laboris partem æquum est, ut veniam.

CAPUT VIII.

Recitatur epistola, in qua totum Vesuvianum incendium anni MDCXCVI. *describitur: factaque legendi intercapedine, Americana potio conficitur, & amantissimo capiti propinatur.*

ARe sacra rediens, jam in Musæum pedem inferebam, Musas, meum delicium, mea mulsa, salutaturus, cum ecce tibi Lucilius, qui statim de more, mihi salutem propinavit. Ego cum vicem reddidissem. Quid, inquam causæ fuit, cur primo mane nō te è strato corriperes, sed præter morem, matura jam die? Tum ille:

ille: Ne, quæſo, id mihi vertas pigritiæ, ſcis enimverò me non oſcitantem, ſed ſolertem eſſe: & ubi primum crepuſculum illuxit, illicò aſſurgere. Ego verò: Haud equidem iſtuc me fugit: & idcircò rei inſuetæ cauſſam abs te requiro. Et ille: Pulſaſtin', inquit, fores cùm in ſacrarium facturus deſcenderes? Tum ego: Pulſavi enim verò: ſed ſummis digitis, & perquam leviter. Tum ille: Quid ita? numnam id mihi grave futurum arbitrabaris? Cui ego: Sic eſt. nolebam enim te, quem dormire ſuſpicabar, excitare. Tum ille: Commodè cecidit, ut ità ſuſpicareris, nam cum totam vigilando noctem tranſegiſſem: nonnisi circiter diluculum præ laſſitudine acquievi, at ſopore perquam leviſſimo; quocirca, miror ſanè me crepitum non excepiſſe. Cui ego: Age, dic tandem, quæ cauſſa fuit inſomniæ? nam etsi levis admodum hujuſce aëris temperies sit, nihilo tamen minus tu dormire conſueviſti. Ego verò non ità. vix enim alias quatuor, alias quinque, nec ſolidas quidem horas dormiſco, quamquam id valetudini minimè noceat: adeò ſalubris aër eſt, idemque genialis. plurimum etiam confert perquam parca victus ratio, quam Græci διαίτην vocant: atque una, eademque ſemper, & tenoris ejuſdem. quod unum ad valetudinem reciperandam, diùque conſervandam conducit quam maxime. Tum ille: At idem mihi tenor, eademque frugalitas. Ego verò: In cæteris, non nego, ſed non in ficis, quibus ad libidinem indulges. Tum ille: Fateor equidem. atqui eſt quo veniam merear. Etenim frigidulæ, molliculæ, melleæque cum sint, difficilè admodum eſt ſe ab illis continere. eſt etiam illud, quod me allicit, frigidas nimirum ficus minimè noxias, quippè quas ſtomachus facilè concoquit. Tum ego: Scio enim verò: atque etiam ſervandus eſt modus, juxta notiſſimum illud, Ne quid nimis. si plures enim

co-

comedas, aluum movent. Et ille: Itane verò? Cui ego: Ita prorsus. Hic Lucil: Habeo, inquit, cauſſam vigiliæ. laxata mihi hac nocte aluus à ficis eſt, quippè. Cur, quæſo, non me admonuiſti? Cui ego: Quia sic ſum, ut nemini velim moleſtus eſſe, nemini creare faſtidium. Tum ille: Adeone indocilem mihi animum eſſe, atque irritabilem putas? imò cum neminem habeam, cui plus, quam tibi debeam, quidquid dixeris, æqui, bonique conſulam. Cui ego: At me ipſum tibi documento habebas. Et ille: Abſtineam poſthac à ficis. Tum ego: Benè facis. Ille verò: dic, ſodes, quot comeſſe sine noxa poſſum? Cui ego: Sex tantum. Et ille: Hui! ſex admodum. næ tu rigidæ præſcriptionis medicus. Ego verò: Si ſecus faxis valetudinem peſſundabis. quæ una præ cæteris tibi charior eſſe debet; si enim benè valeas, vives, quam feliciſſimè. Et ille: Vera prædicas. atqui alia adoleſcentibus, alia ſenibus cibi menſura. ain? Tum ego: Ajo enimverò: atque idcircò duas alias concedo. cæterum illud tibi hæreat in memoria, Peccare præſtat in eam partem, quæ cautior eſt. cautior autem nonne parsimonia? Ille verò: Ità ſanè. faciam in poſterum, ad me recipio. Tum ego: Bona ſpe eſto: ſiſtam ego citatam aluum. Et ille: Quo medicamento? Tum ego: Tibi perquam acceptiſſimo. Et ille; Videlicet? Cui ipſe: Americana potione. nonne medicamentum quam ſuaviſſimum? Sic eſt, tum ille. ſed vide ne mihi pro perca porrigas ſcorpium. audivi enim illiuſmodi potionem movere aluum, non ſtringere. Tum ego: Næ ipſe incautus, qui oculiſſimo mihi capiti pro alexipharmaco venenum propinem, accipe, quod quampauciſſimi admodum tenent, si cocolathes quinquennis sit (si vetuſtior effectui magis reſpondet) relaxatam aluum adſtringit. idque ab Hiſpano quodam integerrimæ fidei homine, accepi. qui id com-

compluries ſe expertum fuiſſe fatebatur. mirum ſanè, & cujus ratio haud equidem mihi in promptu eſt. Hic ille: Gaudeo tam præſentem, tam ſuavem morbo medicinam parari poſſe. Tum tandem ipſe vitrum ſpeculare utrimque tumidum, & globoſum accipio ex arcula, fomitem item, & reſtem ſulphuream: atque ad ſolem procedo. mox ità luci ſpeculum objicio, ut radii recta in punctum unum (focum Mathematici dicunt) coirent. cui quasi foculo fomitem admoveo, quem vix admotum derepentè flamma corripuit. tùm ſtatim ego reſte ſulphurea lumen accendo: tranſmittoque in ceream ſpirulam, qua lucernam æreæ turriculæ ſuppoſitam incendo. quia verò potionem quam citiſſimè cupiebam conficere, lychni, qui trimixos erat, cuncta ellychnia ſuccendi. tandem cocolathicam ollulam accipio, in quam aquæ vaſculum plenum ad duas tertias infundo, ac turriculæ ſuperpono.

Hæc ubi adornaveram, ſtatim me Lucilius rogat, Quid elucubraveram? Cui ego. Cum Galvæus, numquid ſcis hominem? Ille verò: Quis virum vel eruditione, vel humanitate insignem, & tui, tuorumque operum perquam amantiſſimum ignoret? Tum ego: cum, inquam, vir amiciſſimus à me petiiſſet, ut poſtremum Veſuvii incendium, de quo multa, & varia jactabantur, ad illum tranſcriberem, volui viro amiciſſimo, & cui multis nominibus plurimum debeo, ſatisfacere. idcircò hac epiſtola, quam modò abſolvi, omnem incendii rationem complexus ſum. Hic Lucilius: Quæſo, ut antequam sigillo obsignes mihi illam perlegas. Cui ego: Faciam si modò, quæ minus rectè ſcripta ſunt, admoneas. Et ille: Næ ego audaculus, qui te admoneam! auſcultabo potius, ut erudiar. Cui ego: Ita fortaſſe, si per te faceres: neutiquam verò, cum ipſe rogaverim. Nullus enim adeò ſapiens, qui interdum non erret.

Ipſe

Ipſe etiam quandoque bonus dormitat Homerus.

Mox ita exorſus ſum:

Parthenius Galvæo ſuo.

εὐπραάτλειν.

SI vales, mi Galvæe, benè eſt: ego quidem meliuſculè valeo: & optimè tandem me habiturum ſpero in hoc cœlo tum amœno, tum ſalubri; ubi cura, & negotio vacans, eo fruor otio, quo ſcis me plurimum delectari; & quo, præſentiſſima quaſi medicina, ſoleo convaleſcere. Petieras à me tuis illis literis, quas IV. Kal. Jun. ſcripſiſti, ut quod meis ipſe oculis videram de Veſuviano incendio ad te tranſcriberem. ajebas enim verò plura apud vos circumferri, quæ partim videbantur improbabilia, partim autem ridicula, ac fabellis anilibus perquam ſimilia, partim etiam incredibilia. ſatis tibi utique feciſſem ſtatim, ut literas tuas accepi, niſi res plurimi otii fuiſſet. idcircò minimè licuit opera occupata, atque animo impedito. Scis enim oppidò, quot mihi negotia, quot tricæ plus, pluſque in dies Neapoli parentur; ut neque harum, neque illorum cauſſa reſpirare, nedum aures ſcalpere per otium liceat. Hic verò loci, quoniam res nacta eſt hominem otioſum, ac priſtinæ valetudini aliquantulum reſtitutum, poſtulatis tuis ſatisfaciam: tibique hac in re, ut in omnibus inſerviam. Verum quò gratior accidat, altè, atque à capite exordiar.

Circiter Idus Apri: cum jam jam dies appeterent Domino Redivivo ſacri, Beneventum conceſſi, ut Cardinalem Urſinum, virum omni virtutum, ac diſciplinarum genere ornatiſſimum inviſerem, ac præſens præſenti mea ſtudia deferrem. nam tum beneficiis plurimis, tum ſingulari ſua in me benevolentia me ſibi ar-

ctiſſimè devinxit. id ſanè non te præterit: cum de illius, vel humanitate, vel officiis, animoque ad beneficentiam facto, ſæpenumero ad te ſcripſerim. Dum igitur eſſem Beneventi in Cardinalis domo, ubi me quotidie benevolentiſſimus Princeps excipiebat. quodam manè in aggrundam exivi, ut liberiori cęlo fruerer. vix pedem intuli, cùm illam nigro cinere undique conſperſam animadverto. miratus rei novitatem, cœpi illicò mente mecum evolvere, cujuſmodi eſſet oſtentum. nec ſanè diù in ancipiti verſatus eſt animus: ſtatim enim illum à Veſuvio, Vulturno ſpirante, ad nos delatum, montemque iterum, diſrupto sinu, in incendia exarsiſſe putavi. Nec mea me cogitatio fefellit. Cùm enim ſub veſperam Neapoli nuncius adveniſſet, immani montem incendio conflagrare, ignitorum lapidum torrentes evomere, ingentes ambuſti pulveris eructare turbines, altiſſimis cœlum cuneis adlambere, nigra diem caligine obtegere, horrendis identidem bombis reſonare, crebris ſuccuſſionibus tremere, vaſtitatem minari, cuncta denique in metu, ac trepidatione eſſe, reportavit. Quod simul ac cognovi, Cardinalem adeo, quæſoque, ut liceret per ſe mihi Neapolim reverti; ut quæ acciderant propius proſpicerem. Ille verò jubet unius tantum dieculæ moram me æquo animo ferre. Se etiam perendie Neapolim profecturum, meque in ſuo ſexijugo deducturum. Ego verò libenter in diem perendinum diſceſſum differe, quando sic juberet. proque tanta benevolentia, & honore, quo me honeſtare meditabatur, gratias egi quammaximas. hinc, noſtrorum commendandorum cauſſa, cùm abeundi domum veniam dediſſet, diſceſſi. Domum igitur, ut perveni, amicos rogo, numquid Neapolim vellent? quamque inibi ſarcinulam habebam compoſui.

Perendiè, ut diluculum illuxit, ſacris de more factis, cur-

currum illicò conſcendimus: perque Samnitium montes, & Caudinas Furcas curſu perquam citatiſſimo in Campaniam deſcendimus. Ubi Acerras venimus ſtatim altiſſimos in cœlum cuneos aſſurgere, latè pulveris nimbos diſpergi conſpicimus, crebroſque montis mugitus exaudivimus. tandem ſub veſperam Neapolim perventum eſt. Cardinalis ad D. Philippi, quem impensè colit (ſuam enim illi debere incolumitatem fatetur; quippè qui in immani illo terræmotu, quo totum concidit Beneventum, ſub ingenti domus ruina obrutus, ac penè conſepultus, illius ope quasi redivivus in lucem iterum emersit) ſoſpitalem ſui Divum adoraturus deſcendit. me verò eodem, quo veneramus curru, domum deduci jubet.

Benè mane ſequentis diei Antiſtitem noſtrum Cardinalem Cantelmum ſalutaturus convenio. Excepit ille, ut ſolebat, ſumma amoris ſignificatione. poſtquam verò multa de Cardinale, & Benevento percontatus eſſet, in Veſuvianum tandem incendium, quod unum id temporis in omnium ore, atque oculis erat, ſermonem perduxit. decrevitque mecum poſtero die in montem conſcendere, atque ea, quæ auribus exceperat, ipsis oculis curiosè, diſtinctèque proſpicere. quocirca jubet me craſtino ſe maturius convenire; ut inde in Veſuvium aſcenderemus. cui cum mandata diligenter facturum reſpondiſſem, abeundi facultatem petii: dedit ille: meque benevolentiſſimè dimisit.

Hoc loco Lucilius, cum aures turriculæ applicuiſſet, Bullit, inquit, ni fallor, aqua. Tum ego, ſeposita epiſtola, educo ex arcula mundum cocolathicum. Et primum papyrum ſolidam cæruleam explico in menſula, inque illa nuceam tabellam levigatam impono: deinde cylindrulum ſelibrem Americani nectaris vetuſtiſſimum ſiniſtra accipio, dextra verò bipennulam ſemi-

lunarem; tabellaque ſuper ſextantem ferè cylindruli minutim reſeco. mox duellam ſacchari cocleari accipio, admiſceoque cocolathe, cui dulcarium orbiculum odoratum, ex illis, quos mihi Conſentia Galvæus dono miſerat, adjungo. tandem cuncta promiſcè, educto operculo, in ollam projicio, atque operculo iterum. Deinceps in menſula ſericum linteolum explico: inque illo conicum vaſculum, candidum, perlucidum, mirisque sigillis Serico opere depictum, atque diſtinctum colloco. volebam gratiſſimum mihi ſui merito juvenem, hoc ſplendido apparatu, honoris gratia, excipere, atque exhilarare. Exin Serica item in patella sigillis illiuſcemodi interpicta, atque oculis ſtellantibus mirum in modum interſtincta aliquot Lusitanica bellaria impono. fiunt hæc ex polline siligineo perquam niveo, ovo, atque Indico ſale; quæ in unum coacta tandiù pilo diverberantur, quoad in ſpumam aſſurgant. furno mox coquuntur. illis à vernaculo nomine barbæ ſuperioris labri vulgus noſtratium cognomen fecit. Mos eſt Hiſpanis, qui ad nos jam transiit, ut priuſquam cocolathen hauriant, iſtæc nectare madefacta prælibent. Sed jam liquatus cocolathes versicolorem inſpumam altè aſſurrexerat. quocirca è foculo ollulam educo, expanſaque ſuper papyro, ne menſulam commurcarem, impono. interea jubeo Lucilium ellychnia extinguere, myxis forfice diſſectis. Ipſe verò ex arcula truſatile molile accipio, molamque intrudo in ollulam; axemque verſans utraque palma, cocolathen molio: & tandiu diverbero quoad humor ferè totus in ſpumam abivit. Tum denique, vaſe inclinato, paulatim mola ſpumam educo, verſoque in vaſculum. simul ac infunderam, cocolathen continuò diverbero, verſoque iterum. id cum tertio feciſſem, totumque ſpumeo nectare vaſculum adimpleſſem, Lucilio ſubminiſtro. Ac-

co-

cepit ille perquam modeſtè. vix primoribus labris deguſtavit,cum: Probatiſſimum,inquit,eſt,cum ſuavitate liquoris,tum aromatum ſuaviolentia: confectum item ſcitiſſimè. cum verò rurſus ſorbillaſſet; Quam ſuave! inquit. ut olim de re delicatiſſima dicebatur, mellis medulla,nunc videtur dicendum,Indicum nectar. Ain' tu? Tum ego:Ajo enim verò:idq;jamdiu conceperã:ſed tui ingenii celeritate cogitatum meum prævertiſti. Verum quis sic animum induxiſſet, ut crederet apud barbaras illas gentes, quæ ferina victitant, nec abſtinent ab humana, tam insigne diuorum munus reperiri? uſque adeò verum eſt, nullam eſſe nationem sic barbaram, & rudem, ut interdum circa luxus, & vitæ commoda ingenioſa non sit. nec terrarum angulum ullum eſſe tam remotum,tam incultum, cui divitias ſuas Natura elargita non sit. Admiror ſanè illius miram providentiam, quæ cum vinum gentibus illis denegaverit,ne fortè magis efferarentur, hujuſmodi potum ſuppeditavit, qui ità juvaret ſtomachum, ut mentem non læderet. Vix dum ſorbillando vaſculum exhaurivit, cùm manum extendens,ut vaſculum acciperem; cedo, inquam, ut lavem. Ille verò caſtigatæ frontis modeſtia; Næ, ego malemorigeratus,qui iſtuc permittam tibi! Cui tum ego: Sine, quęſo, ut tibi deſerviam. simulque vaſculum eripere adniſus ſum. At ille vi perquam officioſa id nequaquam paſſus eſt. quam ego vim perurbanam libenter devoravi. Ita enim morigeratos, atque in majores obſequentes adoleſcentes volo. Sunt enim nonnulli adeò delicati, ut neutiquam ſcindi laciniam patiantur. hujuſmodi ego non amo. & si opus interdum urbanitatis gratia in aliquo inſervire, id,fateor candidè, ſum etenim apertiſſimus, fronte facio, non mente. Deinde reliquum epiſtolæ ità de ſcripto dicere aggreſſus ſum.

Poſtea verò quam, ut in votis erat, innubis, ac placidus craſtinus illuxit, illicò domo egreſſus rectà ad Cardinalem proficiſcor. Qui ut me vidit, Veniſti, inquit, tempeſtivè. Cui tum ego: Feci, ut erat in mandatis. Et ille: Rectè verò. Atque audi modò: perquam maximè commodum duxi, ne cogeremur ſuſceptum iter abrũpere; hic antequam progrediamur, nos brevi prandio, atque extemporario reficere. illoque exacto, iter in montem corripiemus. Tum ego. Rectè factum, ac ſapienter. ita enim de prandio minimè ſoliciti singula à fronte, & à tergo, πρόσω καὶ ὀπίσω, ut Græci dicunt, inſpiciemus. Dum igitur menſa inſtrueretur, brevi ambulatiuncula ſtomachum acuimus. Inter deambulandum multa de more collocuti. rogavitque de reditu tuo è Brutiis. cum dixiſſem te brevi rediturum, magnopere gaviſus eſt. Sed jam inſtructa menſa, conſedimus. in qua brevibus quidem epulis, ſed exquisitis recreati ſumus. Mox paucula mora interposita, in currum aſcendimus. juſſuſque auriga recta Maſſam ad Veſuvium contendere.

Eſt autem Maſſa ad Veſuvium vicus elegantiſſimus ad montis radicem acclivi in planitie poſitus, inque Septentriones ſpectat, ad quos altior Veſuvii vertex, qui ſeſe adhuc ab incendio vindicat, convertitur. Hunc in vicum curſu quam velociſſimo intra ſeſquihoram perventum eſt. Quia verò ulterius progredi ne cisio quidem monhippo conceditur ob implexos, ac longos montis anfractus, aſcenſumque per declivia, aviaque ſylvarum impeditum, idcircò curru exilivimus. nihilque cunctati, Cardinalis mulum, ego aſellum conſcendi. quæ quidem jumenta expeditiſſima, cum ad ligna convectanda quotidie montem ſubeant. Ut nos in viam dedimus, præcedente agaſone quodam locorum peritiſſimo, utqui montem lignatum frequenter cir-

cui-

cuibat, ſcandere extemplo cœpimus: ſed lentè admodum propter montis acclivia, ac tortuoſa. Cum verò juxta convallem quandam veniſſemus, vidimus illicò ambuſtum quendam verticem ex illa aſſurgẽtem, quasi ferreum, omni prorſus frutice nudum, ac ſquallidum. qui, ut narrabat agaſo, eruptione anni MDCXXXI. enatus emerſerat. Hinc ut paululum progreſſi ſumus, confeſtim horrificos attolli cuneos, quasi piceos, crebroque volumine geminari tam cito, ut viſum penè fallerent: circũ verò erumpentes flammas cuneos adlambere: atque ignitos lapides, lapides inquam? imò ſcopulos validiſſimo impetu evibrari: qui derepentè igneę præ ſe grandinis ſpeciem ferentes, mirum in modum recidebant. horribiles simul his tonitrus, magno fragore, ac bombo reboare identidem exaudiebamus. fateor hic me ſubito perculſum terrore inhorruiſſe, ac penè exanimatum. putabam nimirum in Tartara verius deſcendere, quam conſcendere in montem. quem meritiſſimò Ditis oſtium vulgus appellat.

Ut ſubſtitimus, ductoque tantiſper ſpiritu, quod reliquum acclivis erat, exuperare contendimus. tandem poſt duas horas magno tum labore, tum defatigatione jumentorum in ædiculam ventum eſt. Hic Solitarius quidam degit, corrogata à viatoribus, atque paganis ſtipe, & oleribus victitans: quæ illi hortulus juxta ædiculam poſitus ſuppeditat. Sub hæc Thracius repentè ortus eſt. quod quidem & ſalutare nobis, & commodum fuit: ſiquidem vehementer perflans cinerem in contrariam partem ferebat. Itàque factum eſt, ut & pulvere vacaremus, & ſereno, liberoque aëre omnia circumluſtrare poſſemus. quapropter alacres, atque animosiores facti, per tortuoſum montis planum, crebroque itu, redituque impeditum ire perreximus. Tandem aliquando ſub meridiem in vallem, per quam lapideus

amnis defluebat, pervenimus. Hic loci, quoniam ob frequentes arenæ cumulos ſolum erat lubricoſum, & propter ſaxa ſparsim diſperſa difficile, è jumentis deſilivimus: ac pedeſtri itinere, mihi ob diutinam obſtructionem laboriosiſſimo, cœpimus ſuſpenſo admodum gradu tum aſcendere, tum deſcendere per arenæ cumulos, identidem fallente veſtigio. ad ultimum omnibus viribus connixi, ad decurrentis fluvii ripas deſcendimus. Mirum oppidò, mi Galvæe, quod ſcribam mox: vixque tuis oculis credidiſſes. ut verò faciam accuratius, paulo altius exordiar.

Alterum montis faſtigium, ex quo ignis erumpit (nam, ut te non præterit, Veſuvius noſter biceps aſſurgit, uno vertice viridans, altero verò arenoſus, ac ſterilis ob incendia. Plinii enim ævo, quo contigit prima illa, ac memorabilis eruptio, præ altero ferax magis, ac viridis) ampliſſimo patet cratere quem paſſus MD. quidam, quidam verò bis M. ambitu continere ajunt. ego in præſentia nihil certi habeo, quod ſtatuam. faciam fortaſſe alias nactus otium, & opportunitatem. In craterem olim patebat deſcenſus, quamquam difficilis, nec periculo vacans ſuo. èq; illius fundo, quasi è camino interdiu fumus, noctu ſæpè ignis erumpebat. Verum altera ab hac eruptione, quæ contigit hyeme rigidiſſima anni MDCLXXX. è medio cratere monticulus emersit, qui ſensim ex illa ipſa materia, quam mons eructabat, adeò cœpit excreſcere, ut magnam crateris partem occupaverit. Jam verò ex hujuſce monticuli recens enati vertice hæc cœpit eruptio, de qua ad te ſcribere inſtitui.

Evomebat igitur, identidem eructans horrendo fragore, ac bombo, materiam quandam ſaxeam, ſed penè liquidam, quæ paulatim ſuperius indureſcebat: tantam verò, ut brevi univerſus ferme crater impletus eſt Exin,

qua

quæ hic depreſſior, cœpit exundare: eo prorſus modo, quo fit in fontibus, ubi primùm ſaliens crateris labra exuperavit: perque montis declivia Herculanum verſus defluere. Vidiſſes lapideum amnem, quid amnem dico. imò inſolentem ſaxorum cluviem effluere: per devexa quidem loca incitatius, per æquiora verò lentius. audiſſes inter ſeſe lapides concurſantes ſtridere, ac ſtrepere; ut faciunt torrentes aquæ per ſaxa, & ſalebras defluentes. quin etiam rauci ſibilus, quales ſerpentes edunt, exaudiebantur: nimirum erant hi, quos liquidi bituminis efferveſcentes undæ, quæ ſubter celerius incitæ profluebant, longè, latèque emittebant. è torrente ipſo interdiu fumus ſubalbidus, nitidus noctu ignis collucebat.

Poſtea verò quam ad æquiora ſpatia, quà inſolens ille ſaxorum torrens defluebat, pervenimus, pientiſſimus Princeps, ut rem benè auſpicaretur, accidit in genua. mox fruſtulum Lipſanorum D. Januarii, quod theecula ineluſum cum agno cereo ab Innocentio XI. P. M. luſtrato, deferendum mihi dederat, ea qua par erat, religione accepit: dextraque manu ſublime tenens, ter, adverſum ſpectans incendium, ſalutare Crucis ſignum expreſſit in aëre. ſub hæc enixè Deum precatus, ut tum ſui munere, tum Divi merito, quod ſæpenumerò benignus præſtiterat, Urbem ab incendio, & vaſtitate defenderet. idem precati quotquot inibi unà eramus. tandem inclusis theecula Lipſanis, aſſurreximus. Re ſacra ritè, pièque hunc in modum procurata, ad amnem convertimur: & non ſine ſtupore aliquandiù contemplati ſumus. Quia verò præ tarditate vix nobis fluere videbatur (qui tamen præteritis diebus iverat incitatior) juſſus eſt agaſo ſeſe in fluvium capeſſere, quo manifeſtius appareret illum in inferiora delabi. Vix dum deſcendit agaſo, cum deferri inferius

ho-

hominem apertè videmus. nempè à præterlabente saxorum amne simul deferebatur. Hic me Cardinalis rogat: Qui fieret, ut dura illa materies, & plus, pluſque inter defluendum lapideſcens, moveretur, ac flueret? Quia, tum ego, liquens bitumen una cum ſulphure ſubter velocius decurrens ſuperiora quantumvis dura, ac ſolida ſecum abripit, ac devehit. Luculentè id comprobant immoti ad utrumque marginem lapides: qui idcircò minimè rapiuntur, ut cæteri, quia bitumen ſubterfluens ad illos non pertingit. Tum ille: Rectè verò, id ipſum jam animo conceperam.

Deinde, cum materiam illam, quam quidam ferream ſpumam dixerant, qualem Ætna nonnunquam evomit, accepiſſemus, nonnisi puros, putoſque lapides ambuſtos eſſe perſpicuè cognovimus. Erat tamen illis admixtum ſulphur, ſal ammoniacum, & simul lapis ſpecularis: nitrum, & bitumen penè evanuerant. Quod verò ſcribis ad vos perlatum argentum, & aurum montem evomiſſe: atque idcircò lege lata cautum à Prætore, ne quis lapides aſportaret, joculare illud, atque aniles fabellas ducito. nemo unus ſanè fuit, qui lapides non aſportaverit. illiuſmodi verò lapides quamplurimi fuſorio in vaſe ad ignem applicuerunt, ut si quid ineſſet, auri, vel argenti, elicerent (teſtis ipſe non ſemel interfui) verum poſtquam multum deſudarunt, luſerunt operam. nil quippè metallorum, nisi forte exiguum imperfecti æris, repertum eſt in fuſorio. nimirum erant mera ſaxa, quæ bitumine perlita ignis aduſſerat.

Sed redeam, quò cœpi, poſtquam diutiuſculè lapideum amnem miro modo profluentem, quæque inerãt curiosè contemplati ſumus, Cardinalis animum cupido ſubit ſummum apicem adeundi. volebat enim vigilantiſſimus Paſtor, gregiſque amantiſſimus Innocentii XI. cereum Agnum, quem ſolenni ritu quotannis luſtra-

ſtrari à Pontificibus mos eſt, in perquam horrendum illud, vaſtumque incendium prorricere. ſperabat nimirum fore, ut, illo porrecto, incendia deferveſcerent. Verum vix ad L. paſſus progreſſi, cum derepente nigra caligine circumfundimur, denſo pulvere obruimur, ac relabentium ſaxorum grandine penè enecamur. perhorrifici verò turbines tam ſubiti, ac geminato confeſtim volumine, bomboque erumpebant, ut audaciſſimum quemque territarent. simul totus reboare intus, concuti circum mons audiebatur. credidiſſes profectò cuncta, laborante natura, reſolvi in chaos. Quocircà Cardinalem monui nequaquam ultra progrediendum. jam nos eſſe intra jactus lapidum; adeoque in aperto diſcrimine. neque videri mihi expedire periculum irrumpere. quidquid enim accidiſſet, neque id verò ex ſententia, non certè quidem futurum laudabile. Etenim præpoſtera ſemper cum sint vulgi judicia, haud quaquã id pietati, ſed curioſitati datum iri. Hac ille tum denique ratione permotus, ſtatim ſubſtitit. Sacerdoti verò cuidam, qui nos ſequebatur, animoſo, æque, ac pio, curam demandat, ut paulò uterius progreſſus, caveret tamen ne audacior ſeſe periculo objiceret, cereum Agnum, non quidem flammis extinguendum, ſed extincturum flammas, modò id expediret, religioſè porriceret. Tanta eſt apud Antiſtitem noſtrum Sanctiſſimi Pontificis opinio: & quidem meritiſſimò. quamplurima quippè mira, & quæ naturæ fines tranſcendunt, ab hujuſmodi Agnis parata eſſe, nemo unus eſt, qui ignoret.

His cum piè, tum ritè confectis, in ædiculam reverſi ſumus. ex hac inde præruptam quandam in rupem deſcendimus, quam juxta torrens, vel ſaxeus, vel igneus præterlabens in ſubjectam convallem præcipitabatur. Ut primum venimus, mirum oppidò, horrendumque viſu

viſu fuit, quod illicò noſtris oculis oblatum eſt. è ſupercilio rupis, in cujus crepidine inſiſtebamus, igneam maſſam, mollem quidem, ſed tenacem cõtinuo in vallem lapſu ire præcipitem, non sine admiratione ſpectabamus. eo autem fragore, quo fluvii ſolent, cum ab editis ſeſe rupibus in ſubjectas valles demittunt: ut me ad Tibur vidiſſe Anienem memineram. Quia verò denſior erat materies, paulo obtusior, ac fractior ſonus edebatur. Maſſa verò liquato metallo ad efficiendas bombardas sic similis videbatur, ut nihil similius eſſe potuiſſet. inferius fluida magis, magiſque accenſa: ſuperius verò eò durior, quò magis ſaxea videbatur. Hic Cardinalis: En, inquit, ut liquidus ſubter ignis, & bitumine admixto tenax ſuper incumbentes lapides aſportat. Cui ego: Ajebam enim verò. Et mirum profectò, & jucundum viſu erat, magnas illas lapidum cõgeries cernere, antea veluti glutino inter ſeſe connexas, ac coagmentatas, ut ad cataractas veniebant, repentè ſcindi, præcipitari, convertique in ignem, qui plurimus ſubterfluebat. deinceps, ubi deciderant, ſtatim lapideſcere: nempè liquidum bitumen inferius ſubsidebat. Poſtea verò, quemadmodum delapsi amnes paulatim per æqua iter corripiunt, sic iterum colligati, nexique lapides interruptum caſu curſum exordiebantur. Qui poſtquam ad æquiora, tria ferè paſſuum millia emensi, pervenerunt, in unum, magnumque cumulum coëuntes, conſtiterunt. Hic autem ambuſtus quaſi monticulus moveri interdum, ac fluere apparebat miro modo. Ne verò agris vaſtitatem exundantes flammæ inferrent, cavari alveum vigilantiſſimus Prætor juſſit, quo, facta veluti via, ſublaberentur. Etsi duraturum diù incendium, in mare ſeſe capeſſerent. Atque hæc ſunt, vir eruditiſſime, quæ ad te ſcribere de præſenti incendio, habebam. Vale.

Hic

Hic Lucilius; Effeciſti, inquit, ut iterum incendium oculis contemplarer; adeò graphicè illud depinxiſti: & quidem ſine nimio illo fuco, quo plurimi ad ſatietatem uſque, ne dicam ſtomachum, abutuntur. nempè quo res non ſuis, ſed alienis coloribus picta, aliter appareat. Mox ambo in pomarium deambulatum deſcendimus.

ÆSTATUM SURRENTINARUM

LIBER II.

CAPUT PRIMUM.

Convivium inſtruitur, & varia ferculæ adornantur. poſt menſam recitatum carmen de inſigni ſtrata-gemmate. hinc occaſione cujuſdam rumoris ex improviſo excitati, quæſitum quid eſſet terræmotus?

VIx dum domum reverſus crepidulas indui, cum cornice pulſari fores identidem audio: mox etiam exclamari, meque nominatim vocari; quapropter puerum compello: Ah, ah, Fabiole, huc adi. ille ſtatim advolans; Præſto ſum, ait. Cui tum ego: Anne tu ſurdus, qui forium ſtrepitum non audis? I citò: deque feneſtra inſpicito, quis pulſet fores, atque exclamet. Ille cum ſubitus inſpexiſſet, Duo, inquit, veſtrates ſunt: quippè qui nigram induti veſtem ad talos uſque demiſſam collare duriuſculo, & exterius aliquantulum inverſo. ſcipionem etiam

etiam ad firmanda veſtigia, ut ſolitaviſtis, manu geſtant; quare illos huc Maſſa ad delubrum veniſſe arbitror. Illi tum ego: Iſtuc non multi eſt divinare: ornatus enim quis quiſq; sit, indicium facit. I citò, fores reclude: nam præter morem, & præſcriptum sic vehementer pultant, ut ni ſtatim aperias, diffringent. ipſe verò, aſſumpto breviori pileo, ut eram cycladatus, obviam eo. Ubi verò ad primos gradus offendi, ſtatim accepta, ac reddita ſalutatione, benevolè excipio. Dein aſcenſuri, quæſo, ut honoris gratia primi præirent, ipſe verò poſt ſequor. ut in ſuperiorem ambulationem vẽtum eſt, meum cubiculum induco. Atque hic simul ac conſedimus, interrogo. Numquid novi ad vos Neapoli allatum eſt? nam ego nihil prorſus literarum accepi. Et illi: Nihil omninò. Quibus tum ego: Gaudeo, quod quietæ admodum res sint Neapoli. Sed agite, quod quidem mea ſcire magis intereſt, valetiſne rectè? Illi verò: Rectiſſimè. verum nos abs te ſcire avemus, tutene valeas? Tum ego: Plane benè. Et illi: Rem nobis perquam gratam nuncias. at cedo, quæſumus, Quid hic ſolus agis? Quibus tum ego: Minimè ſolus; nam mihi cum Musis ſocietas eſt, cum quibus tamen haud musicam vitam duco, ſed laborioſam. quamquam, ut planè fatear, iſtic mihi labor omnium inſtar voluptatum eſt. Tum illi. Credimus enim verò. voluptas quippè eſt genio indulgere, nec quidquam jucundius, quam eſſe cum Musis. Nos, si rogas, ut una ſaltem diecula tibicinis vitam viveremus, ad te confugimus. Quibus ego: At vereor ne veſtra ſpe decidatis, nec feratis, quod poſcitis; quando me nihil ſuſpicantem oppreſſiſtis. Et illi: Etsi te præſcium eſſe noluerimus, ne multum negotii faceſſeremus, non tamen te imparatum opprimimus. ſumma quippè tibi rei domeſticæ cura eſt, mirum oppidò hominem, qui

præ-

præter Muſas, & literas voluptatis habet nihil, tam providum, tantamque penuariæ rei curam ſuſcipere, non quidem ſui gratia(ſcimus nimirum parsimoniam) ſed amicorum, qui non admodum rarò oppreſſuri veniunt ultronei; nempè ut eleganti cõvictu exhilaret ex præparato. Quibus tum ego: Gratias vobis ago maximas: & ut etiam habeam, quæſo liceat mihi per vos culinam concedere; ut offam apparem, quam non ingratam fore confido. Vos interea, ne id grave futurum ſit, ad oram maris deſcendite. & quoniam ibi calami ſunt, hamique piſcarii è ſcopulo animi cauſſa tantiſper piſcamini. Illi verò: Id nobis erit gratiſſimum. ſuccedit quippè è ſententia. jamdiu enim iſtuc deſideravimus. In pomarium igitur deſcendimus: atque ex illo in ſcopulum deduco: ibique illis relictis, domum redeo.

Vix dum redii, cum puerum compello: Heus tu Fabiole! ardetne circa ollam ignis? excoctuſne capo? Et ille: Ardet ignis: ex intervallo enim ligna ſuffeci. Sitne coctus capo, necne, affirmare non habeo, ut qui periculum non feci. Faciamus, tum ego: atque culinam ingredior. vix intravi, cum ſemimortuum ignem, diſperſoſque titiones animadverto; quocirca non sine riſu (ſoleo enim ridere in ſtomacho) trifurcifer, inquam, adeone tibi calida mendacia in promptu ſunt? arguebat mihi te mentiri naſus tuus. jam intelligis quę te expectet multa: præter panem, & aquam nihil hoc mane obſonabis. ita enim verſuram ſolves. mox ut illum corripui (ſiquidem pueri natura desides cum ſint, facilèque ad pueriles luſus divertant, ni ſeveriſſimè caſtiges, boni, induſtriique non fient) jubeo, compoſitis illicò titionibus, ignem paleari flabello excitare. ipſe interea ex olla capum educo, atque duobus primoribus digitulis, experior ſi coctus eſſet. cùm autem duriuſ-

riuſculum deprehendiſſem, iterum injicio, ollæq; operculum ſuperpono. Sub hæc integrum panem accipio, candidum, pumicoſum, cultelloque cruſtulam duriuſculam reſeco, at veluti deglubo. nudam poſt pulpam diſſeco in quadrulas, quas prunis aliquantulum torreo. Etenim ad hunc modum toſtæ jus facile ebibunt, excreſcuntque quam latiſſimè. Deinceps elixum jam capum exoſſo; inque fruſta minutatim comminuo: præparo mel calaminum admixtum cinnamomo, & jurulentum boletum. His ita præparatis, offam facio non cum ovis caſeatam, ut aſſolent noſtrates (quam quidem ego probavi nunquam; insipida quippè eſt, & literatorum ſtomacho non benè quadrat.) ſed mellitam, ut Galli, à quibus nomen accepit, conſueverunt. Lancem igitur accipio ampliſſimam; inque illam, admixtum cinnamomo ſaccharum, non quidem parcè, ut præ avaritia faciunt compluſculi, qui nimium ad rem attenti ſæpenumero, ut tantillum deducant, univerſum prandium corrumpunt, ſed affatim ſpargo. exin cereales quadrulas ſemitoſtas expando, facioque veluti primam ſuperficiem. qua facta, addo ſparsim caponis fruſta, & boletos, ſaccharumque ſuper, & cinnamomum promiſcuè diſſemino: poſtea caponinum jus infundo. non ſecus inde aliam, atque aliam deſuper ſuperficiem inſterno, ſaccharoque benè condio. volebam enim ſcitè edulcare. tandem plenam jam lancem altera operculo, mittoque in hypocauſtum ut sic quadrulæ omne penitus juſcum exhaurirent. offam enim siccam potius volebam, quam juſſulatam.

Hoc ferculo adornato, jus quod ex capone ſuperaverat condio ad hunc modum: piper, cinnamomum, aromaticumque cariophyllum in ollam jacio: addoque tritum apium, & perpauxillum croci, ut juſculum facerem croceatum. etenim perquam ſuave juſco cro-

eus ſaporem impertit. mox ollam igni amoveo, ne juſculum nimium exiccaretur. tenuiſſimas tamen ſubter prunas injicio, ne tepeſceret. jus enim ni calidum haurias, ingratum palato eſt. quocirca coquos noſtros monitos velim, ne tam citò ab igni pultarias ollas, teſtudineſque fictiles ſubducant; nec tam feſtini lanees toſta, elixave onerent: neque polentam, neque pultem, sive candida sit, sive oleracea, ſcutellis ingerant. nolim tamen, ut Scyllam vitantes, incidant in Carybdim, ut vetus proverbium eſt. nempè ut ne frigidas dent, calidiſſimas ſubminiſtrent. non ſemel mihi moræ impatientiſſimo, accidit ut puls ferventiſſima linguam exulceraverit, tanta indignatione, ut vix me continui, quin in ſtomachum erumperem, pultemque proicerem. ſed interim ab asino, quod ajunt delapſus, ab inſtituto nimium aberravi. redeo igitur in viam, unde me deduxi, atque è coquo, paſtillarium piſtorem agam. Quatuor ærea vaſcula conformata in cymbulas, illitaque interius ſtamno, accipio ex arcula, atque in abacum expono. poſtea verò pauxillum vitulæ ſemitoſtæ (illud in futurum providè attentus, ab heſterno die aſſeruaveram: non enim ex jis ſum, quibus illud bellè quadrat; piſcis repoſitus) ſecuri minutim trito. mox tritum in teſtudinem fictilem mitto: addoque medullam bovis perpinguem, pineos nucleos, paſſulam uvam, boletos, & dulcia item trita: teſtudinem mox igni impono, ut nonnihil incaleſcrent, & liquata medulla, fierent jurulenta. Interim ex polline ſiligineo, butyro, ſaccharo, vitelloque ovi intritam ſubigo: ſubactam octo in partes divido, extendoque ſingulas cylindrulo. deinde quatuor ſingulas ſingulis vaſculis ita interius apto, ut veluti incruſtarem, ne verò cruſtulæ vaſculis adhærerent, ſuillo ſumine inungo. accipio mox offam ex teſtudine, & vaſculis ingero ex æquo. tandem quatuor

aliis

aliis cruſtulis vaſcula cooperio. ita verò ſuperiores cruſtulas inferioribus primoribus digitis cupulavi, ut extremus limbus pinnatus aſſurgeret. ubi jam confecta infurnibulo injicio in furnum. interea Fabiolus, elixa è vaſe pultario extracta, pultem immiſeram coquendam. erat hæc intuba hortensis cum tenerrimis cucurbitulis.

Hæc inter amici è ſcopulo ſuperveniunt: altèque exclamant: Quæ tanta mora, Parthenie, cum tu cæteroqui ſolertiſſimus? jam jam appetit duodecima. Quibus ego: Atqui illam veſter indicat venter, non verò ſolarium. simulque è marſupio auctomatum horologiolum, quo me Acerrarum Dominus, homo hominum, qui vivunt liberaliſſimus, meique amantiſſimus, donaverat, educo: indicemque inſpicio, qui ad undecimam vix pervenerat. quod cum ipsi inſpectarent: Non rectè indicat, inquiunt. Tum ego: Conſulamus ſolarium; nam ut rectè poëta,

Solem quis dicere falſum
Audeat?

Illi verò: Æquum poſtulas. cum autem à me depictum in pariete ſolarium aſpiceremus, ad eam ipſam horam perveniſſe ſtyli umbram animadvertimus. Tum illi: Rectè quidem. verum quid ſolario opus eſt, quod nobis diem articulatim comminuat? uterus certiſſimum nobis ſolarium eſt, & fames, quæ tempus præcurrit. accedit pedeſtre iter, quod Maſſa hucuſque affecimus, quo ſtomachum non mediocriter acuimus. Quibus ego: Aſſentior: atque per me nulla eſt mora: omnia enim in promptu ſunt. at, quæſo, quid in ſcopulo piſcati eſtis? Et illi: En duos mullos barbatulos grandiuſculos, & cephalum hunc ſeſquilibrem. Quibus tum ego: Ah, ah, ah, vah! vos ne mihi imponatis? erratis toto

cœlo. quippè nato sine cortice: &, ut adagium est, γέρων πίθηκος οὐκ ἁλίσκεται. illos non hamo piscario, sed argenteo cepistis. quo ad cupiendos nō modò pisces, verum etiam homines nihil profectò est magis efficax. nostro in scopulo vel Julidem, vel Percam fallere potestas erat: Tum illi: Phy! nihil te prę-terit. Sed cedo, quanti illos nos autumas coëmisse. Ipse verò: Argenteo coëmissem: vos duos solvistis. sic enim hic piscatores sunt, ut ab exteris duplum petant. Illi verò. Tanti quidem, nec pluris, nec minoris coëmimus. quid facias? quanti quanti, benè emitur, quod necesse est, vel placet. Verum estne mensa instructa? Quibus ego: Etiam. unum tantum supereſt, ut pisces istos assemus. Hic illi: Sed in digitis, ut dicitur. Huic adeone saginare nos vis? omitte curam istam. Massam ad delubram feremus pro cœnula vespertina: nam si tardiusculè fortè pervenerimus, aut nullam, aut corruptam domi cœnam inveniemus. Quibus tum ego: Ut bellè præcavetis! Agite igitur, si ità vobis constitutum est, ad mensam accumbite. Hanc ut in aperto, amœnoque loco instructam viderent: Quid, inquiunt, cibo opus est? amœnissimus enim hic prospectus, salubberrimus hic aër abundè nos pascit, ac reficit. satius certè hic esse, quam in Eurota. Tum ego: Ità enim verò. istuc ego cœlum, agrum istum eo loco numero, ut præ illo cætera post esse putem: nec cum Thessalicis quidem Tempis, & si qui locus alter beatior est, commutarem. Tum illi: Palatum tibi sapit, Parthenie: hic oculi, aures, animus ampliter saturi fiunt. At ipse: Sed jam consedite; unus quippè Chamæleon, ut fabulantur, vescitur solo aere. Lotis igitur manibus in trulleo, toralique lineo detersis, accubuimus. Principium ab ovo veteri more factum est. Etenim secundę ficus, quas vulgus nostratium ab optando Optatas vocat, livorem

non-

nondum induxerant. eo enim anno propter aeris intemperiem, ſerotini fructus nonnisi in ſeram æſtatem ad maturitatem pervenerunt. dum ovum comedimus, interea loci croceatum juſculum in vaſculis ex nobiliori argilla, variiſque sigillis, ac floſculis mirum in modum Serico opere pictis, affertur. illud non cochlearì, ut quidam factitant, ſed è vaſculis ipsis primoribus labris ſorbillamus. Deinde Gallicam offam, quam tum puer in menſam inferebat, ego convivii magiſter, & ut Græci dicunt τραπεζοποιὸς ſingulis diſtribuo. Quam ut ſuaviſſimam æque, ac delicatiſſimam deguſtarunt, Tu nos, inquiunt, excipis in lautitiis. iſtæc ſanè offa, mellis medulla, ut ajunt, eſt. tantum verò placuit, ut ne bolus quidem relictus. Hic Fabiolus cum deterſas omninò lances vidiſſet: Ego, inquit, mundare laces volebam, ſed vos hoc me onere liberaſtis; quocirca gratias ago quam ampliſſimas. Riſere hic omnes, laudaruntque ingenium pueri. alter verò amicorum, Bono sis animo, inquit: hanc accipe, quæ nonnihil pinguiſſimi juris habet. ille tùm non minori argutia, & ſupra ætatem: Phy! phy! O Sturnum pinguiſſimum! quod quidem dicterium feſtiviſſimè acceptum eſt. At illi ego: Adeone argutulus es Fabiole? haud equidem tibi tantum ineſſe ſalis putabam, ni forte tibi fames ingenium ſubminiſtret. illa enim, ut ait Perſius, nihil argutius,

Ingeniique largitor venter
Negatas artifex ſequi voces.

Et ut vetus adagium Græcorum eſt πολλῶν ὁ λιδὰσκαλος γίνεται λιμὸς. At age, affer huc. Ex oleribus pultem, & elixum bovem. vide ne glandium, & pernam relinquas. Tùm ille: Parva quidem jactura, si deſeram. ſalita quippè nimis, & duriuſcula.

Cui ego: O pulchrum commentum! molliculane tuis dentibus? Et ille: Ita verò: nempè pueris robusti dentes. Tum amici: Rectè Fabiolus. Mox dum pultem comeſſemus, & elixum bovem pinguiſſimum, appoſuit ille tria ex quatuor intritis cerealibus, ſingula ſingulis. Cui tum ego: Ubinam quartum! Et ille: Quid opus eſt quarto, cum vos tres ſitis? illud mei gratia à te factum putavi. Cui tum ego: ò lepidiſſimum capitulum! tui gratia? erras tota via. nolo enim alere Melitæum catellum. non tenes tibi nihil hoc manè obſonandum? Hoc loco alter amicorum ætate minor: Pro Fabiolo, inquit, Parthenie, rabula, non tamen audaculus intercedo, quæſoque ut noſtrum gratia quartum illud fartum illi concedas. Ego verò: Quando, ſic jubes, morem geram. verum furcifer iſte illud non meruit, cum ſit negligentiſſimus. Interim dum cereales cymbulas intrita vitula, boletis, ac dulcibus oneratas amici præguſtarent; O quam bellè, inquiunt, hiſce cymbulis navigatur! beaſti nos quidem iſtis. ſumptis mox vitris, ac infuſo à Fabiolo Græco hyberno delicatiſſimo, mihi feſtivi propinarunt. Tandem cum ad ſecundas menſas ventum eſſet, allatus eſt Martius caſeus laudatiſſimus, & corbicula cum fructibus varii generis: nimirum erant tuberes plurimi albi, & rubri prunum herbaceum, orbiculatum, & damaſcenum cum pyro cruſtumio, & mammoſo. Poſtremo, ut jam caſtigatis dapibus, ac Socratica ſobrietate exempta eſt fames. illicò aſſurreximus; redditiſque Deo pro more gratibus, limonii mal fruſtulo, cujus ſuccus mira abſtergendi vi præditus, manus perfricantes frigida lavimus in trulleo. Exin verò conſedimus iterum ad proſpectum maris. Tum amici: Recita, inquiunt, aliquid ex Bellicis tuis. Et quod gratiſſimum nobis erit, eos verſiculos, qui nunc primitus exciderunt. Et ego: At illi

non-

nondum dolati, imò ne exaſceati quidem. Illi verò: Imò sic placebunt. Tum ego, accepta ſchedula, inqua cursim notati, perlego hoc modo.

Sed vos hic vatem, Muſæ, quibus ardua Martis
Prælia ſunt cordi, palmaque & clara Trophæa
Numine deſſum veſtro, cantuque juvate.
Magna quidem dicenda, ducisque exempla ſupremi
Laudibus æternis ornanda, & carmine ſacro.
Ergo agite, heroo concedite digna cothurno;
Vt cælo meritis æquetur cantibus Heros.
Bellaces inter fraudes, & Martia furta,
Sæpe quibus fortes animis, & mente capaces
Ductores magnis bellorum in caſibus uſi,
Hæc fuit, egregiis ſed vix tentanda maniplis:
Ardua nimirum conari, & fortia; nunquam
Tentari quæ poſſe ſibi perſuadeat hoſtis.
Sic res improviſa, reique ingentis imago
Attonitos reddet, Martiſque ad munia ſegnes.
Et quamvis præclara ducum monumenta priorum
Plurima ſint: ævo non deſunt & ſua noſtro:
Tempore quæ quamquam, non ſunt virtute ſecunda.
Non longè, Sicorim propter, quà ſurgit Ilerda
Heſperias urbes inter non ultima, magnus
Dux Cantelmiades * *pietate inſignis, & armis,*
Scottorum ſoboles & præclariſſima regum,
Imparibus quamvis armis (exercitus illi
Millia vix ſeptem numerabat lecta virorum
Corpora: viginti ſed millia Francus habebat)
Arte ſed egregia pugnam commiſerat acrem:
Et magnis animis, magna virtute minorem
Penſabat numerum: factis & fata vocabat.
Nec mora turbati convertunt tergora Galli:

* Andreas Cantelmus Catalaunjæ Prætor, cujus vitam nuper elegantiſſimè ſcripſit Leonardus de Capua.

Inque fugam effuſi ſeſe dant ilicet: ingens
Fit cædes. proſtrata jacent immiſta cruentis
Arma viris: Sicoriſque tumeſcit flumine major:
Et ſe purpureum ſine more immiſcet Ibero.
Læta triumphali ſeſe victoria lauru
Obtul rat blandita duci. Proh fata Deorum!
Quam non felicem Fortunam, & proſpera rerum
Invidia livens animus, cæcoque furore
Percitus evaluit corrumpere? maxima ſummo
Dejectare poteſt de culmine: lætaque verſo
Ordine fatorum ſubitò mutare ſiniſtris.
Ergo equitum renuens mandata faceſſere ductor
Invidiæ tetro flagrans livore (ſupremo
Invidet inſignem palmam, laudemque magiſtro)
E ſtatione data decedit, & hoſtibus æquor,
Converſis ultro ſignis, concedit habendum.
Verſaque ſors pugnæ: invituſque recedere campo
Non hoſtis virtute, mala ſed fraude ſuorum
Cogitur: & paucis equitum comitatus in arcem
Vicinam recipit ſeſe. Mora nulla, feroces
Incumbunt hoſtes, & vallo mœnia cingunt.
Obſedione petitum ſe Cantelmus, & arcem
Aſpicit, ingenti major virtute, animoque
Se ſuper aſſurgit: magnam & vim concipit armis.
Ac velut incluſum, magna cingente corona
Cum Leo venantum ſe proſpicit, æſtuat ira
Plurimus, horrendumque fremit, rabieque remugit,
Rauca ſonans: vallo impatiens, armiſque teneri.
Hac, illac ſeſe verſat, totiſque repentè,
Rugitu immani, collectis viribus, Euro
Ocyor alato prorumpit, & ungue rapaci,
Viique viam magno venantum ſanguine pandit.
Non ſecus hoſtili vallo concluſus in iram
Magnanimam totus ſurgit Cantelmus: & ingens

Viique

Vique, animoque micat, vultuque interritus igneo.
Nunc huc, nunc illuc ſe mente, & corpore voluit.
Nil humile, abiectumque nihil, ſed magna, ſed alta,
Et praclara agitat, quæ non felicia pugna
Compenſare novis poſſint inſignibus auſis.
Proh dolor! his tandem prorumpit, in æquore victor
Non virtute ſua, ſed proditione meorum
Mœnibus his Gallus concluſo illudat? adempta
Invidia ſi palma mihi: non mens, animique,
Non hæc dextra potens erepta, & Martius ardor.
Ille ego, qui toties Gallorum ſanguine victor,
Et Batavo toties madui, totieſque Sicambro.
Verſus & ad ſocios, ſimul hæc: Fortiſſima bello
Pectora, totque olim magnis experta periclis,
Nunc opus eſt ſolitis virtutem accendere flammis:
Et decus antiquum, & partos reparare triumphos:
Et cumulare novis: per vos, per fortia facta,
Per ducis & veſtri nomen, devictaque bella,
Fidite ne muris: ferro per caſtra, per hoſtes
Quod minimè rentur, via ſtat rumpenda, pateſcet,
Hoſtibus invitis, virtuti, credite, veſtræ.
Magna quidem, ſocii, vos in diſcrimina rerum
Hortor, & objicio. fateor ſunt maxima: vobis
Æqua tamen: ſunt illa duce & digniſſima veſtro.
Non Cantelmus ego? non vos Cantelmia pubes?
Addite, magna petit Mars, & Fortuna: faventque
Numine concordi magnis conatibus ambo.
Hæc ubi, dat ſignum: portæ panduntur: & illis,
Ceu Leo, diffracto de carcere, currit apertum
In campum: ſequiturque retro denſiſſima turba,
Ore omnes igneo, nudo omnes enſe feroces,
Spirantes Martemque animis, & terrificam vim.
Vt procul adventare globum videre, ſonori
Fulminis in morem, perculſi protinus hoſtes

Re

Re mira, inſueta, plenaque audacibus auſis,
Attonitis cecidere animis: cecidere trementi
Arma manu: nec ſe opponere fortibus auſi.
Res nimirum audax, & non praviſa, vel ipſos
Mole ſua fortes exarmat & opprimit ultrò.
Victis horrore ſuo, & cedentibus ipſis
Sponte ſua Gallis aditum; & jam limine fracto
Caſtrorum, antevolat Cantelmus victor: & aſtu
Magnanimo ſervat ſocios, illudit & hoſti.
Nuncius interea Franci vectoris ad aures
It ſubitus; trepidaque refert formidine, denſi
Cantelmus clauſa erumpens vice turbinis arce,
Victrici ut dextra fregit victricia caſtra.
Ille hæc attonitis dum percipit auribus, hæret
Immotus: nec quemquam aggreſſum talia cerdit.
Mox ſuperata videt dum caſtra, necemque ſuorum,
Indoluit; ſimul hæc: Opus eſt jam credere; quippè
Spectamus factum nos ipſi, & funera noſtra.
Aſt unus Cantelmus erat, qui fortibus auſis,
Hoc tantum tentaret opus: non æqua ſiniſtri
Vincere cui fati arbitria, & meditarier altæ
Inſigni virtutem datum, laudemque mereri
Mente acri, magniſque animis, & robore forti.
At quoniam patrui tangit te cura, decora
Æmulus & laudis data per veſtigia Martis
Jam campo graderis pugnator, & ardua niſu
Ingenti conaris, & adorea plurima cordi eſt,
Huc, Cantelmiade, propera, præclaraque geſta*
Aſpice, quæ valeant magnis accendere flammis
Bellaces animos, & maxima quæque parantes.
Acer enim ſtimulus magnorum facta parentum.
Fors erit ut tua Parthenia felicia Muſa

Bella

* Reſtainus Cantelmus Magnus Tormentariæ rei Præfectus.

Bella canant, cantuque almis heroibus æquent.
Intereà Vati bellaces ſuffice vires:
Inſtrue & inſuetum pugnæ bellator in arma.

Ut lectitavi, Intelligimus nimirum, inquiunt, cujus gratia elegantiſſimum hoc carmen compoſitum, & meritiſſimò: debebatur enim tanto viro, tuique amantiſſimo. Atque hæc dum loqueremur, intereà loci tantus ex improviſo rumor in culina excitatus, ut domus univerſa contremuit, tantuſque derepente timor incuſſus, ut omnes in proximam ſubdialem ambulationem præcipiti, ut fit, fuga proriperent ſeſe. Erat quippè adhuc animo præſens nupera calamitas, ingens illa ſcilicet terræ concuſſio, qua tota pene Meridionalis Italia contremuerat. Et nihil propius factum eſt, ut amicorum alter ſuprà modum meticuloſus, ſeſe præcipitem demitteret in hortulum. Cum verò nullum amplius fragorem aure exciperemus: neque parietes circum nutare, neque ſubter humum tremere videremus: neque ulla prorſus concuſſionis veſtigia extarent: neque tumultus, ut in re tali contigiſſet, ex vicinia exaudiretur, tum ego: Panico certè timore correpti nimis citò diffugimus. uſque adeò præoccupatus terrore animus facilè pertimeſcit. mox, ut reſpirandi copia facta eſt, in culinam concedimus, accerſitoque Fabiolo, quid accidiſſet, interrogo. Et ille, cum nos cœlum corriviſſe crederemus, perridiculam fabulã enarravit. Villici, inquit felis, qui præterita nocte è creotheca vitulam ſuffuratus eſt, ab altiſſimo camini ſpiraculo, ex quo fumus evaporat, in focum ex improviſo præcipitatus eſt. cum autem è fumo re vera in flammã, prunaſque incidiſſet, tanto impetu in proximam abacum ſemiuſtulatus exilivit, ut ollas, lances, teſtudines, abacum ipſam ſubverterit, atque contriverit. ipſe verò per feneſtram erumpens ſe dedit in præceps. & ut credo,

do, ſeſe diſrupit. Hoc loco totus rediit ſpiritus, exceptaque eſt fabula non sine riſu amicorum. quorum meticulosior, Evax puer, inquit, aſpersiſti aquam. mox ambo de jactura mihi aliquantulum condoluerunt. Atqui ego, quoniam ita conſtitutum habeo, ut res humanas, ſuſque, deque feram, atque infra me positas arbitrer, quod ad benè, beatèque vivendum plurimùm conferre didici, nihil jactura commotus: eamus, inquam, ut erudita confabulatiuncula animum recreemus. de reparanda jactura, videbimus poſt. Et illi: Miramur equidam animi tui magnitudinem. ſtatimque in apertum deambulacri veſtibulum progredimur.

Vix dum ſedimus, cum alter amicorum natu major: Quoniam, inquit, bellè incidit occasio, non abs re erit, ut te rogem, quid de terræmotu ſentias? tuam quæſo ſententiam in apertum profer. nam ipſe, ut planè fatear, antiquorum placitis neutiquam acquieſco. Enimverò, si quod Anaximenes arbitratus eſt, concedamus, nempè hujuſcemodi ſucceſſiones idcircò evenire, quod nonnullæ terrarum partes improvisò, terra debiſcente, corruant, nemo unus profectò erit, qui, fore, ut apparerent hujuſcemodi hiatus, inficietur. quos quidem hiatus Græus ipſe Χάσματα appellat. id verò & si eveniſſe aliquando proditum memoriæ sit, tamen ſemper accidiſſe, cum terra movit, & ſequeretur neceſſariò, nequaquam compertum eſt. Et quæ porrò illiuſmodi ruinarum cauſſæ? eas Anaximenes minimè reddit. An quia cavernoſa tellus cum sit, ſuperiores partes vel præ nimio humore molliores factæ, vel nimia siccitate, disruptis veluti repagulis, diſſociatæ, debiſcant primùm: mox verò dilabantur? Verum id ne verisimile quidem? Quonam enim pacto interrarum penitiſſima irrumpet aqua, ut illas emolliat? Sol verò tam profundè ſuis radiis deſcendere, ut exic-

cet,

cet, haud quaquam poteſt. Imò verò in Ægypto, ubi tanta à Nilo alluvies, tanta toto penè anno siccitas, ubi ſe intra ripas Nilus reduxerit, frequentiſſimè, nedum frequenter terræmotus excitarentur. qui tamen ferè nunquam ibi contingunt. Cum item tum Sarmatia, tum Scythia continuò vel nivibus obrutæ, vel innatent aquis, terræ molliſſimæ, dehiſcerent ſæpenumerò. quod tamen, nec illarum gentium annales habent, nec parentum traditione pervagatur.

Tum ego: Egregiè tu quidem; neque qui contra occurrat. Ille verò. Atque audi, dicam amplius, ut illud planius efficiam. Cui ego: Iſtuc expecto. Et ille: Hujuſcemodi motus ſæpenumerò ad annos, nedum menſes contivantur, quo tempore ſingulis fermè diebus terra movet. ex quo id exiſtit, nimirum innumeras propemodum ruinas excitatum iri. iſtuc verò quam longè absit à vero, oſtendere omittam, ne nimis hæream in manifeſto. Cui ſtatim ego: Ita res eſt, ut dicis. Ego porrò, ni grave tibi futurum sit, unum dumtaxat adjungerem. Et ille: Imò rogo, ut lubeat. Tum ego: Ex terrarum caſu, sive hic fortuitò sit, sive ex cauſſa, magnus ſanè fragor oboriretur. qui quidem, longius, quam ipſa tum concuſſio, tum tremor, exaudiretur. at res ipſa contrarium docet: non igitur ex terrarum decidentium ruinis terræmotus oriuntur. Tum ille: Ita prorſus: planè enim oſtenſum eſt. Verum age porrò, rem ulterius pensitemus. & non ſtrictim. Ego nunquam sic animum induxi, ut quorundam physicorum placitum verisimile crederem. qui aquis jactari terram, quasi illis innataret, ut ſomniatus olim Heraclitus, dicere ausi ſunt. nempè aquis incremento interdum facto, fluvii, qui terrarum intima præterlabuntur, illarum quaſdam partes exundantium vi disiiciant. illis verò disiectis, vel ſuccuſſio fiat, vel tremor. Atque

id

id vel ex eo apertè putant conficere, quod ſæpeſæpius in illiuſmodi montibus aquæ, dehiſcente ſolo, prorumpant. quas quidem aquas majori intra terram impetu, quam extra profluere, ac prævalido magis ariete undarum vim facere, ac perrumpere arbitrantur. non ſecus contra venti vehementius in aëre, quam terrarum in gremio debacchantur. In hac verò ſententia antiquiſſimos Græcorum fuiſſe, qui Neptunum ἐννοσίγαιον, & σεισίχθονα, nuncupaverunt. atque hinc concuti ab illo terram poetas commentos eſſe: Indeque Virg. ceciniſſe:

Tuque ò cui prima frementem
Fundit equum, magno tellus percuſſa tridente,
Neptune.

ante illum verò Homerum:

Ἀμφὶ Ποσειδάωνα θεὸν μέγαν ἄρχομ' ἀείδειν
Γαίης κινητῆρα, & ἀτρυγέτοιο θαλάσσης.

Verùm id eodem recidit, quò ibat Anaximenes, in cujus ſententiam, hi ambobus, ut ajunt, pedibus ire videntur. Sed age porrò, ex concuſſione terrarum erumpere interdum aquas, concedamus. atqui certè exiluere halitus, & fontes exhauſti omninò frequentiſſimè. Tandem haud equidem arbitror plus undas excreſcentium fluviorum, quam ipſum Oceanum poſſe. qui quāvis valido aquarum impetu perpetuò in terram arietet, non tamen ideireò illam aut nutare facit, aut tremere. Sed omittamus iſtæc: abſoleta quippè, & minus à Phyſicis agitata. quid tu de halitu, ac vapore ſentis? ex his enim oriri terræmotus Peripatetici acerrimè contendunt. nam de his quod ſentiam habeo, quod verò aſſentiar, non habeo. altius quid ineſſe puto, ex quo tātus motus oriatur. Cui tum ego: Haud falsò ſuſpicaris.

xis. verùm quia res non cursim, ac saltuatim examinanda: & jam tempus stomachi halitu oppressum caput somnulo liberare (ne nocentior hinc motus excitetur) eamus cubitum. Post verò, somnulum vegetiores facti, rem totam, quando hominem nacti estis otiosum, diligenter perpendemus. Tum illi: Rectè mones. statimque ad meridiandum cocedimus.

CAPUT II.

Peregrina potio ex mulsa congelata adornatur. mox quæritur, quæ vera sit terræmotuũ causſa, quam ignem esse pluribus ostenditur: & eruptione Vulcaniæ insulæ, aliarumque hujusce-modi comprobatur.

POstquam à meridiano somnulo ad magnam deambulationis fenestram animi gratia consedimus, junior amicorum, cui delicatius palatum, & mos erat interpellandi: Nihilne, inquit, Parthenie, exoticæ potionis in summis hisce caloribus propinas? ego cum Caniculares dies recurrunt sine mulsa vivere vix possum. Cui tum ego: Si consulere vis siti simul, & valetudini, putei nostri puram, puramque haurito mea fide. Est quippè frigidissima, & saluberrima: perquam pauciſſimas enim terræ particulas admistas habet. quidquid enim exoticum, ac barbarum est, gulæ servit, & morborum omnium, quibus ætas nostra obnoxia est, fons, & origo. Ille verò: ah, ah, ah! vah! ut bellè arguteris? nimis tu quippè ad rem attentus. Ego verò: Ita me dii ament, ut non huc spectavi. nihil enim antiquius habui, quam ut erga amicos sim pro tenuitate mea liberalis. Haud sane gallam bibere, rugasque ventri conducere mihi mos est. quocirca morem geram, ut po-

potero quam citiſſimè: & potionem illam, quam non abs te *Sorbetum* à ſorbillando novi dicunt, conficiam. deinde puerum accerſo: Heus, heus tu, Fabiole? non audis? in quem te angulum abdidiſti? tandem ille: Præſto ſum, inquit. Cui tum ego: Præſtone? furcifer. te ſæpius compellavi, nec niſi modò, reſpondiſti. niſi in poſthac ad digituli crepitum curres fuſte tibi lumbos dolabo. Quid tu in culina? fatebere, ſi divinavero? Et ille: Apertiſſimè: Tum ego: De feneſtra cum Tubiolo fabulabaris. ſcivin' ego? Et ille: Sic eſt factum, non nego. verum ſeriò; rogabam enim illum, ut aſcenderet, & me purgantem lances adjuvaret. ſiquidem occasione convivii compluries inquinatæ. Ego verò: Itane, verbero, mentiris? nonne cum illo conveniſti, ut nucibus luderetis? en quomodò manus commurcaſti. Et ille: Non inficior: verùm poſteaquam lances purgaſſemus. nam uti vos viri cum sitis, animum cõfabulatiuncula, ita nos pueri ludo recreamus. At ego: Argutariſne etiam linguacule? ſed de his alias inter nos. Age porrò, fac ut Tubiolus tantum ſalis pinſet, quantum iſtæc capit ſcutella. tu verò perge quantocyus: emitoque tria nivis pondo. heus, cave ne te vẽditor inter ponderandum non juſto fallat æquipondio. habet quippè adulterinum non ſignatum. imò fac ut auctuarium adjungat. Tum ille: cavebo diligenter. verum de auctuario quieſce, homo eſt avariſſimus. Sed numera, quæſo, pecuniam: nimirum tutius eſt mercari Græca fide, quam interpoſita. Etenim nivis venditor homo eſt fraudator: & ni ſingulis vicibus ſolvas, cum illas ſupputat, dolo malo mentitur, augetque numerum. id verò nudiuſterius factitaſſe conqueſtus es, ſi meminiſti. & nihil propius factum eſt, quam ut vapularem. cauto igitur opus eſt, ne iterum in eundem lapidem offendam: nam ut ex te audivi,

Im-

Improbè

Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit.

tu verò, id tua venia, & apud te dictum volo, homo es iracundulus, & nimium plagosus. Cui tum ego: Parumne est, furcifer, quod me fefellisti, ut etiam nunc mendacio, & sententiolis ludas? illam pecuniam certò teneo te ludo amisisse. nõ audivi te exclamantem Capita, Navia? verum ut ut se res habuit, missum facio. en argenteum: quatuor asses numera pro nive, sex quod residuum est, ad me reddito. rectène misi in digitos? Et ille. Rectissimè. quis fallat arithmeticum? Tum ego: Abi citò: & quam citissimè redito. nam si secus, experieris quippè, an revera plagosus sim homo. Et ille: Curriculo curram: volabo. Ego vero: Curre jam, & unum fac curriculum. actutum redi. At ille, ut est promptus, Illic sum, atque hic sum.

Hic junior ille ita me interpellat: Dic, sodes, cur Capita, Navia dixisti, cum de ludo sermo erat, cũ apud nos pueri, Capita, Cruces exclamant? nam, ni mea me fallit opinio, vetus quid, & scitu dignum in dicto latet. Cui ego: Rectè conjectas. verùm mihi videxis Macrobium neutiquam lectitasse? Ille verò: Lectitavi, sed cursim, & saltuatim. Ego tum: Ut hic refert, in Latinorum nummis ex uno latere Iani caput insculptum erat, ex alterò Navis, qua Saturnus in Latium navigasse creditur. atq; hinc pueri, Capita, aut Navia exclamabant. in nostris verò quia in uno caput, in altero Crux impressa est, idcircò Capita, aut Cruces clamitant. verum ad potionem adornandã me vertã. Et illi: Gratissimam rem nobis facies. In primis tum ego fictilem in pelvim aquæ heminam infundo: misceoque Indici salis purgatissimi libram unam: ut verò illicò liquesceret, cocleari aliquantisper verso. Hinc tribus Limoniis supremum cultello corticem detraho. cortice in

fruſtula conciſo in vitrum quam ampliſſimum mitto, atque aquam infundo, ut hæc Limonii odorem attraheret ad ſeſe, penituſque illo imbueretur. nudata verò Limonia incido, atque utraque vola tandiu connixus premo, quoad humor omnis undatim primò, mox guttatim in pelvim diffluxit. hiſce præparatis hoc modo, truſatile vas ſtamneum accipio; cujus orificio linum mundiſſimum impono, quo veluti colo mellitam aquã eliquo, inq; vas transfundo. colata mox aqua, illam promiſcuè infundo in vaſculum, quæ jam Limonii odorem conceperat: addoque paſtillos odoratos dulcarios. tandem anſato vas operculo ſuperintego: atque ad amicos me reſtituo.

Ut redii, me blandè, officiosèque rogant, ut ſederem, ac delicatiſſimum ventulum, tum primitus perflantem exciperem. quocirca nihil cunctatus conſedi, mox illicò: Age sis, inquiunt, dum per tempus licèt, ſta in promiſſis: & quæ tua sit de terræmotibus ſententia, dic planè. nam, ut libera tibi ſentiendi, ita loquendi poteſtatem facimus. Quibus tum ego. Sto fide, qua ut me plane liberem, rem ordiar ab ovo. cupio enim illam preſſim, & enucleatè penſitare, atque exponere perſpicuè. Illi verò: Iſtuc quammaximè deſideramus, quocirca vacuas tibi aures dabimus, quantum voles. At ego; Attedite igitur: omni ope, atque opera enitar, ut expleam deſiderium veſtrum. Duo terræ, vi facta, motus accidunt: uni pulſui, alteri verò tremori nomen à Phyſicis eſt. hic, si per æquata momenta, perque certos veluti numeros fiat, uti minus horroris infert, ita ruinarum minus excitat: ille quammaximè horrificus, & ut ſubitas, ita ingentes ruinas, ac ſtrages creat. ſolet hic ſæpenumero fragore plurimo, bomboque valido, præ magno eunte turbine, derepente exoriri: ad eum fermè modum, quo venti, quos Typhones vo-

vocant, nimbo vehementiſſimo in Oceanum incumbunt. Utrumque hujuſcemodi telluris motum experti ſumus anno MDCLXXXVIII, quo pleraque Samnii oppida cum ipſo principe Benevento, non minus horrido, quam lacrymabili caſu ceciderunt. anno item proxime elapſo, quo totius Apennini tractus, qui Picentinos ab Appulis, Lucanoſque diſterminat concuſſus eſt, innumeraque oppida, magna mortalium cæde dejecta, ac penè ſolo æquata ſunt. Uterque nobis non minus timoris intulit, quam damni: adeò ædes tum publicæ, tum privatæ labefactatæ, & nonnulli etiam mortalium ruina oppreſſi. Præterea re ſæpe compertum, terram principio intus vi pulſam ſubsilire: mox tremere, ac concuti, quasi hac, illac impelleretur. quinimò eò loci, ubi origo illiuſmodi motuum eſt, terram ſubſultare, in remotis verò dumtaxat tremere, atque oſcillare.

Hic illi: Quæ hactenus poſuiſti, in aperto ſunt, perge porrò: cætera expectamus. Tum ego: Pergam illicò, quo cœpi. ut verò efficiam, quod inſtitui, velim mihi concedatis terras undique cavernoſas eſſe: inque cavis hiſce terrarum igneam ineſſe materiam, quæ, si non continuò, compluries certè accendatur, atque exardeſcat. Tum illi: Iſtuc à nobis nullo negotio extorqueas. habemus enim experimenta certiſſima, & teſtes omni exceptione majores, Veſuvium, Phlegram, qui perpetuis ferè ignibus id atteſtantur, & ut fidem illis adhibamus, quà fragore, quà incendio, nos adigunt. Nec longe Vulcanus eſt, & omnium, ut ambitu ampliſſimus, celsiſſimus jugo, ità flammis, atque incendiis celeberrimus Siciliæ mons Ætna. omittimus alios, quos Geographi commemorant, inque ſuis tabulis graphicè pingunt: qui profecto non te latitant. Tum ego: Si iſta concedatis, & concedenda ſanè ſunt,

fruſtula conciſo in vitrum quam ampliſſimum mitto, atque aquam infundo, ut hæc Limonii odorem attraheret ad ſeſe, penituſque illo imbueretur. nudata verò Limonia incido, atque utraque vola tandiu connixus premo, quoad humor omnis undatim primò, mox guttatim in pelvim diffluxit. hiſce præparatis hoc modo, truſatile vas ſtamneum accipio; cujus orificio linum mundiſſimum impono, quo veluti colo mellitam aquã eliquo, inq; vas transfundo. colata mox aqua, illam promiſcuè infundo in vaſculum, quæ jam Limonii odorem conceperat: addoque paſtillos odoratos dulcarios. tandem anſato vas operculo ſuperintego: atque ad amicos me reſtituo.

Ut redii, me blandè, officiosèque rogant, ut ſederem, ac delicatiſſimum ventulum, tum primitus perflantem exciperem. quocirca nihil cunctatus conſedi. mox illicò: Age sis, inquiunt, dum per tempus licèt, ſta in promiſſis: & quæ tua ſit de terræmotibus ſententia, dic planè. nam, ut libera tibi ſentiendi, ita loquendi poteſtatem facimus. Quibus tum ego. Sto fide, qua ut me plane liberem, rem ordiar ab ovo. cupio enim illam preſſim, & enucleatè penſitare, atque exponere perſpicuè. Illi verò: Iſtuc quammaximè deſideramus, quocirca vacuas tibi aures dabimus, quantum voles. At ego; Attedite igitur: omni ope, atque opera enitar, ut expleam deſiderium veſtrum. Duo terræ, vi facta, motus accidunt: uni pulſui, alteri verò tremori nomen à Phyſicis eſt. hic, ſi per æquata momenta, perque certos veluti numeros fiat, uti minus horroris infert, ita ruinarum minus excitat: ille quammaximè horrificus, & ut ſubitas, ita ingentes ruinas, ac ſtrages creat. ſolet hic ſæpenumero fragore plurimo, bomboque valido, præ magno eunte turbine, derepente exoriri: ad eum fermè modum, quo venti, quos Typhones vo-

vocant, nimbo vehementiſſimo in Oceanum incumbunt. Utrumque hujuſcemodi telluris motum experti ſumus anno MDCLXXXVIII. quo pleraque Samnii oppida cum ipſo principe Benevento, non minus horrido, quam lacrymabili caſu ceciderunt. anno item proxime elapſo, quo totius Apennini tractus, qui Picentinos ab Appulis, Lucanoſque diſterminat concuſſus eſt, innumeraque oppida, magna mortalium cæde dejecta, ac penè ſolo æquata ſunt. Uterque nobis non minus timoris intulit, quam damni: adeò ædes tum publicæ, tum privatæ labefactatæ, & nonnulli etiam mortalium ruina oppreſſi. Præterea re ſæpe compertum, terram principio intus vi pulſam ſubsilire: mox tremere, ac concuti, quasi hac, illac impelleretur. quinimò eò loci, ubi origo illiuſmodi motuum eſt, terram ſubſultare, in remotis verò dumtaxat tremere, atque oſcillare.

Hic illi: Quæ hactenus poſuiſti, in aperto ſunt, perge porrò: cætera expectamus. Tum ego: Pergam illicò, quo cœpi. ut verò efficiam, quod inſtitui, velim mihi concedatis terras undique cavernoſas eſſe: inque cavis hiſce terrarum igneam ineſſe materiam, quæ, si non continuò, compluries certè accendatur, atque exardeſcat. Tum illi: Iſtuc à nobis nullo negotio extorqueas. habemus enim experimenta certiſſima, & teſtes omni exceptione majores, Veſuvium, Phlegram, qui perpetuis ferè ignibus id atteſtantur, & ut fidem illis adhibamus, quà fragore, quà incendio, nos adigunt. Nec longe Vulcanus eſt, & omnium, ut ambitu ampliſſimus, celsiſſimus jugo, ità flammis, atque incendiis celeberrimus Siciliæ mons Ætna. omittimus alios, quos Geographi commemorant, inque ſuis tabulis graphicè pingunt: qui profecto non te latitant. Tum ego: Si iſta concedatis, & concedenda ſanè ſunt,

quis vestrum ibit inficias, igni terras, nutare, ac tremere? Tum illi: Te huc venturum jam suspicabamur. sed quam inibis viam, ut id efficias? Ego vero: Hanc, & quidem compendiariam. In cavis terrarum ignis est, & sæpenumero accenditur: cum verò violentissimus sit, & accensus immensum sane locum suapte natura, statim occupet, qui cum intra terras non suppetat, vi facta, erumpit in aerem, terramque vehementissima vi pulsat, montes submovet, rupes intorquet, vastosque hiatus sibi molitus iter, aperit. Quam quidem sententiam nolo putetis meum esse commentum, & recens conflatum: fuit quippè antiquissima, cumque ipsis poëtarum mysteriis, dicam verius, quam fabulis, nata. Quid enim aliud sibi voluere, cum concuti à Vulcano, pulsarique terram confixere, quam ostendere ignem esse, qui subterraneis incluſus specubus terrarum fundamenta succuteret? Ità pariter, ut author est Seneca, opinatus est Anaxagoras: *In inferiori*, inquit, *parte* (terrarum scilicet cavis) *spiritus crassum aerem, ac in nubes coactum eadem vi, qua apud nos nubila frangit, ibi in obvia incurrit exitum quarens, ac divellit repugnantia, donec per angusta, aut nactus viam exeundi ad cœlum, aut vi, atque injuria facit.* In quam quidem sententiam it etiam Plinius. *Neque aliud*, inquit, *est in terra tremor, quam in nube tonitruum, neque hiatus aliud, quam cum fulmen erumpit.*

Tum illi: Assentimur, etiamsi id tu nullo exemplo diceres. Est enim res apertissima. At ego: Verùm licet confirmare etiam exemplo, sumpto à similitudine argumento. Et illi. Cedo, inquiunt. excipiemus auribus lubentissimis. Tum ego: Concipite animo eam belli machinam, quam cuniculum vocant: qua quidem ad eruendas funditus arces momento uno nullam certè validiorem ætas nostra, harum machinarum inventrix

ex-

cæteroqui ſolertiſſima, excogitavit. In primis, (ut illam graphicè ponam ob oculos) effoſſa paulatim humo, ſubter tellurem meatus aperitur, cui cuniculo eſt à militibus nomen. qui eò uſque obliquo ductu excavatur, quoad ſub mœnia perventum eſt. hic cellula præ ſe teſſeræ formam gerens, niſi quod ſuperius sit fornicata, conſtruitur. illius sinus tantæ ſit amplitudinis, quãtam pulveris copia ibi collocanda, & quæ ſatis ducitur ad diruenda mœnia, exigit. Iſtic verò pulvis vel doliolis, vel ſaccis incluſus, collocatur in cellula. cui poſtquam fatale pignus concreditum, os illi ſtrictè concluditur, uno tantum ductu perexiguo relicto, quo tormentaria reſtis ab exteriore meatu in cellam intromittitur. Ut opus ad unguem adfectum eſt, igniarius funiculus accenditur, qui, ſensim ſerpente flamma, poſt conſtituta temporis momenta, ignem jacit in pulverem. hic simul ac in ſeſe ignem excepit, totus continuò deflagrat: atque inſolens anguſto cellæ sinu contineri, immenſam penè in amplitudinem rarior factus, excreſcrens (ajunt enim millecuplo majorem fieri) tãta vi, tanto impetu in apertum derepentè connititur, ut terram, mœnia, cunctaque sibi obsiſtentia perrumpat, atque in altum divulſa contorqueat. idque verò tanto fragore, ac bombo, ut longè, latèque aer horrendum in modum immugiat: tanta violentia, concuſſioneque ut tellus quam longiſſimè diſtans tremat, ac titubet. Huic verò motui, qui igniariis machinamentis ad belli uſum excitatur, haud quaquam absimilis eſt ille, qui fit artifice natura. nec ſanè alia ex cauſſa progigni putandum eſt, quam ex ignea materia, quæ in cavernis terrarum, quasi cellis continetur, & plurima; quippè quæ in dies adnaſcitur, atque accreſcit. Hic illi. Perſpicuum quidem exemplum, quo res manifeſtiſſimè comprobatur. Verum age: cedo, quæſumus, si quid hujuſcemodi

habes in Bellicis. Tum ego: Hebeo certè, ſed nondum ad unguem caſtigatum. Illi verò: Utut sit, nobis erit acceptiſſimum. tenemur enim pulegio carminum tuorum. Et ego: Si tantum vobis tolerantiæ, atque otii eſt, ut vobis meos centones farciam, audite.

cavo ſed jam flagrante camino
Ingenti ſonitu: ceu cum ſtrepit aëre fulmen
Excuſſum, & magno cœlum tonat omne fragore:
Ilicet erumpit vis ignea, vaſtaque multo
Mœnia projectat niſu: rapit omnia magno
Turbine flammarum, nimboque involvit opaco.
Vt cum Materiem ſub vaſtis Ætna cavernis
Tempore congeſſit longo, calefactaque flammas
Concepit, rupto confeſtim viſcere Montis,
Immenſam jacit in cœlum ſuccenſa ruinam,
Et tegit horrifica ſub tempeſtate. propinqua
Tum Catane concuſſa tremit: tremit omnis ab imo
Cardine Trinacria, & circum Thetis acta remugit.

Iſtæc cum de arcium oppugnatione. quæ jam jam ſubjungo, rem magis explicant, & quæſtiunculæ apprimè conveniunt. Excerpta verò ex II. Lib. in quo de pulveris pyrii opificio non ſtrictim agitur. quem primitus ad Veſuvium adinventum ea, qua ſolent libertate poëtæ, confingo.

Hac loca, qua vaſtis fervent incenſa caminis,
Dum terra humorem recoquunt, pramolle bitumen
Et denſam emittunt ſpumam, quam ſulphura noſtri
Appellant; quorum glauco vix lumine flamma
Pralucent; ſpatium nec multum accenſa repoſcunt.
Hac ſed vena nitri, qua ſub telluris opaco
Concreſcit gremio, umbroſiſque meatibus, unda
Quos nulla ſubeunt dulces, nec Solis aprici
Deſcendit vis ulla: nitro bis, terque recocto,
Natura purgante, creatur fulmineus ſal.

Sul-

Sulphure ſal miſtus glauco, & cum pumice trito
Materiam facit horrendam, qua flammea mille
Semina ſunt. rapida que candeſcente favilla,
Corripiet, cæcis ſi qui latet abditus antris,
Aut ſi qui nimio fervore eruperit, ignis,
Momento in flammas abeunt rariſſima: & igens
Latè implent ſpatium, cum perruptura ſupernè
Ingenti tonitru, & cælum obductura tenebris.
Scilicet id quoniam nonnunquam concita tellus
Horrendum nutat, penitiſque excuſſa cavernis,
Sæpe aperit montes, & flumina ſorbet, & urbes
Sternit humi, ſummoque à vertice deicit arces.

Ut recitavi, tum illi: Non eſt cur amplius caſtiges: eſt enim opus expolitum ad unguem. Sub hæc Fabiolus cum nive expectatiſſimus advenit. etenim quia jam Zephyri, inclinante ad occaſum die, poſuerant, æſtus ſupra modum incaluerat. Cui, simulac vidi; Adeone tardè, ceſſator? tu monitis nequaquam proficis: faciam profectò, ut poſthac tete ocyus moveas. Et ille: Nivis, inquit, venditor aleator peſſimus, adeò erat affixus ludo, ut nullo pacto, etsi hominem precibus oneraſſem, nisi re tandem profligata, pecuniaque decocta, ab aleis dividelli potuit. At ego: Etiamne mentiris, inepte, quasi nunc te noverim? Ille verò nimis audaculus: Si iterum hac me ignominia afficies, reſtim emã. quid fiet inde, intelligis. Tum ipſe: Tun' furcifer, tantum audes? I, verbero, affer ſal tunſum, & ſecurim unà, ut nivim tritem. Hinc ad amicos: Recreemus nos frigida: deinde, ſi per otium licebit, quæſtiunculam abſolvemus. Illi verò: Iſtuc quammaximè optamus. de quæſtiuncula non ità valdè labores: res enim confecta, & quidem manifeſtiſſimis argumentis. Nil igitur cunctatus ad potionem adornandam me confero. Dimidium nivis minutim attero: ſpargo deſuper ſalis

plurimum, mixtimque permiſceo. mox truſatile vaſculum jam aqua Maſſilica benè plenum in aliud ex ſubere, intuſque picatum, intrudo. poſtea verò inter utrumque, quod vacuum erat, nive repleo. dextraque apprehenſa vasis anſula circumago,& verſo. ut ſic nix motu agitata fieret acutior, & quantocyus aqua frigeſceret. ubi verò verſavi aliquantiſper, manus lavo: illas enim penetrabile nivis frigus,ut ait poëta, jam penè aduſſerat. quibus mox panno detersis, os, quod in inferiore parte ſuberei vasis erat,educto epiſtomio,recludo, ut ſcilicet illac liquatæ nivis aqua diffluereț. ni facias,illa ſupereffluens in vaſculum truſatile immittit ſeſe, mulſamque conſpurcat. ut demum effluxit,os iterum occludo. exin, ut verſavi rurſus aliquantulum, operculum attollo, atque introſpicio; ſi aqua cœperat indureſcere. quia verò circa vasis latera,jam congelaverat, cocleari gelatam diſrumpo, atque ab latere divello; ut ità reliqua nivis ritu citius congelaſceret.quo adfecto, vas operculo. reliquum nivis comminuo, permixtoque ſale, in vas mitto. deinde tandiu vas verſo, quoad aqua omnis tanquam grando concreta eſt. tum demum, amicis accersitis, expono in menſula tria vaſcula mundiſſima ex cryſtallo lactea, quæ Venetiis coëmeram,cùm Italiam perluſtrarem. quæ mox vaſcula, ità largiter impleo, ut major gelatæ pars ſupra illorum labra,pensilis quasi glacies extaret. adeò nimirum aqua præ frigore concreverat. Illa poſt deinde amicis porrigo, quæſoque, ut delibarent. Illi dum vaſcula accipiunt: Tu largè, inquiunt, liberalis. hinc ut dulciſſimam æquè, ac delicatiſſimam nivem præguſtarent: Nihil ſanè ſuprà eſſe poteſt. ambideſter tu quidem, ajunt; & calida simul,& frigida ſcis quamſcitiſſimè adornare. Poſt ubi ſensim ſorbillando vaſcula exhauriimus, ego alterum singulis propinavi: mihi

verò minimè. quod cum animadverterent. Cur, inquiunt, nihil admodum tibi repoſuiſti? Quibus ego: Quia id genus potionis, ſi modum ſuperet, ſtomacho nocet, & meo præcipuè, quippè frigidiſſimo, ut cibum vix decoquat. Atque hinc ego plurimos oriri morbos, & in primis luem hypocondriorum, qua nulla id ætatis nocentior, exiſtimo. quare illos neutiquam laudo, qui adeò intemperanter huic potioni indulgent, ut interdum ſupra decem vaſcula ingurgitent verius, quam ſorbillent. iſtuc autem haud quaquam sitis eſt, ſed gula. neque id fieri sine piaculo poſſe crediderim: quamquam non adeò sim ſcrupuloſus. Verum ſaltare extra chorum neque otium eſt, neque expedit. Sedeamus iterum. En ut jam rurſus Zephyri ſpirant molliſſimi. atque expoſitæ quæſtiunculæ finem tandem aliquando faciamus. ea enim hora eſt, ut properandum cenſeo. Tum illi: Si ità tibi quadrat, pergito: nos hic ſumus. Tum ego orationis filum ſtatim reſumo, & telam, ut dicitur, ordior hoc modo.

Terræmotus igitur (quod mihi à vobis jam ultrò conceditur) magnus eſt naturæ cuniculus, inſtructus, ut credo, ad domandam hominum pervicaciam: etenim vindices noxarum Superi haud ſane majus quid habēt ad ſontes mortalium puniendos: quippè quo vel uno, eodemque momento non urbes tantum, ſed regna cōcutiunt, concuſſa ſubvertunt, ſubverſaque in dehiſcentium terrarum sinu abſorbent. Quod verò in illiuſmodi cavis illa insit materia, ſulphur nimirum, ac bitumen, cæteraque hujuſcemodi, quorum terræ viſcera quam feraciſſima ſunt, sic planè perſpicuum efficiam. Proditum memoriæ eſt ex hiatibus, qui plurimi ob motus terrarum patuerunt, ſulphureum ignem erupiſſe: & tanta interdum graveolentia, ut viventia enecuerit. fateor, & quidē sincerè, anno MDCLXXXVIII.

ma-

magnum me ſulphuris odorem, odorem autem? imò fetorem ſenſiſſe. Eram quippè tum cum amico in templo domus noſtræ, ubi major & vis, & ruina fuit: & propè eſt factum, ut ſuperbiſſimi Tholi caſu oppreſſus perirem: ut vos non latet. Hic illi: Scimus equidem: & ut primum de te ſolliciti dolebamus, ita mox Superis gratias egimus, quo te nobis ſoſpitem reddidiſſent: & precamur, ut ſervent quam diutiſſimè, ſed perge modo reliqua. Quibus ego: Eò contendam. Id ipſum, quod expertus ſum ego, ab aliis etiam viris, & fidei integerrimæ in aliis terrarum concuſſionibus, quæ in noſtram ætatem ceciderunt, obſervatum eſt. Quin etiam ex ignivomorum montium incendiis manifeſtum eſt: ex illis enim immenſam ſulphuris copiam erupiſſe compertum eſt. quocirca colligi aperta ratione poteſt; accenſo ſulphure, ac nitro terras ſubmoveri. Hic illi: Et his facilè à nobis aſſenſum impetras. At age porrò, qui fit, ut terra dum movet, aliquoties ſubſulter, aliquoties verò tremat? Quibus tum ego: Jam iſtuc dicturus eram: audite paucis: intelligo id vos cupidius appetere. Cum accenſus in cavis terrarum ignis quamplurimus: neque vaſti meatus patent, quibus ultrò, citròque veluti lymphatus excutſans iram expleat ſuam, ſenſimq; remittat, tum illicò in apertum molitur iter, incumbentemque deſuper terram, atque obſiſtentem ſibi, ne liber exiliat, multa connixus vi ſubmovet. hæc ſurſum impetu ſubmota ſubsilit, ſuccutiturq; ille victor ceu partæ victoriæ triũphũ canens bombum edit horriſonum: illa verò illatam ſibi injuriam fragore conqueritur. quoniam verò opus eſt in latera simul utrinque recedere, ac dimoveri, indè fit, ut remotis in locis tremorem tantum efficiat. Poſtea verò quam, ſibi quà viam vi fecit, erumpere cœpit ignis, non amplius tum terra ſuccutitur, ſed fluctuanti ſimi-

lis

lis hac, illac motat latus, & quodammodo oscillat. At si, vel accensus ignis non tantus, vel ampliſſimæ cavernæ pateant, quibus debachatus iram exerat, atque exerceat, tum obtuso veluti mucrone cœsim ferit: hinc tellus intus jactata tremit, nutatque in latus, quà igneus illam impetus impellit. Tum illi. Et istuc tenemus, quippè ad liquidum exploratum. Sed perge, quæsumus, ulterius. Profundène hujusmodi cuniculus, an prope ab extima superficie terrarum instruitur? Quibus tum ego: Id certò definire haud facilis est negotii. attamen profundè crediderim istæc incendia suscitari. qua verò ratione in hanc sententiam inducor, accipite. Compertum illud manifestò habemus, cum hujuscemodi concussiones fiunt, immensos penè terrarum tractus nutatione jactari. Etenim terræmotu (unum è multis, ne longius exemplis oratio pervagetur, quam notissimum, ac novum carpam) quo Catana urbs nobilissima, plurimæque urbes, oppidaque innumera aut deleta funditus, aut miserabilem in modum labefactata, non solum universa Sicilia, sed Italia ipsa, ipsa Africa, & quotquot circum Insulæ; & quidquid inter Italiç, Africæq; litora maris interfluit, cõcussum, atque jactatum est. Jam verò, ut vis illa ignea tam vastum terrarum, marisque spatium dimoveat, atque convellat, necesse est, ut altius, quo prævalida magis sit, vim tantam moliatur. nam si propius ab extima terrarum superficie, vi facta, conniteretur in aërem, erumperet illicò, neque tot terras, tot maria submoveret, atque hàc, atque illac incita propelleret. id verò pientissimæ consilio naturæ factum existimo, ne semper certas mortalibus strages vicinus ignis inferret: qui dum longe submotus, magnamque telluris molem obsistentem sibi patitur, latius diffundit iram suam, quæ collecta foret nocentior. & dum plures aggreditur, ad singulos impo-

potentior eſt. Neque verò prope ſuperficiem interdum accendi negare ausim, cum exploratum pariter sit aliquoties non longum terræ ſpatium contremiſcere. Enim verò (eodem militari cuniculo rem approbo) si altius ſub mœnia foculus inſtruitur, non unam propugnaculi aciem, non ſaxeum ipſum agerem; ſed omnem murorum ambitum, arcemque univerſam concutiet, atque convellet: si verò tam prope à ſuperficie fabricetur, projectabit quidem propugnaculum, tantum vero telluris nequaquam dimovebit. Hic illi: Habemus & hoc perſpicue: Ita enim res eſt, ut dicis. Age porrò sis (quæſumus tamen ut parcas, si te tot interrogatiunculis fatigamus,) & cur perquam rarò terræ concuſſiones cadant? & cur item cum cœperint, iterentur identidem, & ad annos durent? Quibus tum ego: Ea cum vobis mihi gratia eſt, ut veſtris interrogationibus minimè graver. Quibus ut faciam ſatis, Ajo materiam illam, quæ igni pabulum ſuppeditat, quàm tardiſſimè generari: atque hinc fieri, ut eveniant rarò. quoniam verò nõ uno, eodemque loco, ſed diversis, veluti ſparsim, progignitur; idcircò non tota simul accenditur. ſed modò hæc pars, modò illa: modò major, modò minor; ut compertum in ignibus artificialibus habemus: qui quoniam ob oculos verſantur quotidie, omitto. atque iſtuc in cauſſa eſt cur itarentur ſæpè: & cur modò validiores, modò remiſſiores fiant. Hic illi: Aſſentimur prorſus. res omnis planè confecta eſt.

Tum ego Fabiolum accerſo, jubeoque navicularium advocare, ut cymbam inſtrueret, deduceretque in mare. ad amicos mox: Ne cogamini totum, quod hinc Maſſam ad delubrum iter eſt, pedeſtres confiçere, magna certè defatigatione, ac ſudore in hac æſtate caliditſima: mea vos cymbula excipiam, atque hinc ad Pollii sinum deducam; ex quo brevi poſtea compendio

do-

domum pedatim, & sine lassitudine venietis. Tum illi: Hoc sanè unum deerat, ut tuæ benevoleutiæ, qua nos excepisti, coronidem imponeres. certè nobis rem gratissimam æque, ac salutarem facies: quà, etsi cæteroquin multis nominibus obstrictos, implicatissimos habeas. Quibus tum ego: Quidquid id est officii, debitum sanè vestrę humanitati; quando me in hoc solitario recessu degentem invisere dignati estis, & quà præsentia, quà colloquiis recreare. Mox omnes ad mare perreximus. quia verò jam in promptu cymba erat, & nautæ expeditissimi, statim conscendimus: jubeoque navicularium recta in Polli sinum contendere. cum enim vesper appeteret, nolebam longiori viæ impendio per Surrenti oram tempus insumere.

CAPUT III.

Posse interdum vaporibus attenuatis terræmotum excitari verisimile: id verò ipsum ignis etiam ope, & opera fieri manifestè efficitur.

Dùm veheremur, amicorum natu minor, quippè qui humanioribus literis operam impensè navaverat, ita me pro more interpellat: Quando & temporis plusculum, & otii supereſt, liceat mihi per te, nonnulla percontari, quæ aliquot mihi in animum scrupulos injiciunt: quos si efficies, ut deponam, rem ipsam, quam pronuper putavimus, perspicuam reddent omninò. Cui tum ego: Imò rogo, ut aperias: contendam pro viribus te illis expedire. Tum ille: Si igni terra succutitur, cur tu Nauticorum V. sic cecinisti?

Hesperiæ fines juxta, Siculumque Pelorum,
Quà modico terras æstu secat unda revulsas
(Nam, si vera canunt, quondam fuit utraq; tellus
Vna:

Vna: ſed ingenti mox terra concita motu
Diſſiluit. vapor è gremio Telluris ad auras
Erumpens tantam potuit feciſſe ruinam)
Itque, reditque mare, & lunaribus æſtuat horis.

Præterea Pontanus noſter, dùm terræmotuum cauſſam ſolerti, ut ſolet, diligentia, in Meteoris veſtigat, ſpiritum eam, ſeu vaporoſum halitum tandem eſſe dicit: canit enim hoc modò:

Ergo incerta ferens raptim veſtigia anhelus
Spiritus, incurſat nunc huc, nunc parcius illùc,
Exploratque aditum inſiſtens, & ſingula luſtrat,
Si quà fortè queat vicinis erumpere claustris.
Interea tremit ingentem factura ruinam
Terra, ſuis quatiens latas cum mœnibus urbes.
Diſſiliunt avulſa jugis immania ſaxa,
Procumbunt turres, ſternuntur funditus arces,
Magnorumque cadunt templa impolluta Deorum.
Excidium ut magni jam jam timeatur Olympi.

Quod quidem ipſum ſimilitudine ab humano corpore deprompta tum insigni, tum eleganti explicat simul, & confirmat:

Hoc etiam, ut magna à parvis cognoſcere poſſis,
Cernere erit, noſtro quoties in pectore ſiſtit
Spiritus: ac tenuem neque dat, neque ſuſcipit auram.
Tum velut intercepta anima, tremor occupat artus.
Pugna intus: micat extremis in partibus horror.

Subinde verò iſtuc adjungit:

Ergo ubi collectis immenſum ſe viribus aura
Crebreſcrunt, via fit, ruptiſque meatibus efflant,
Antra ſonant, mugitque ſolum, valleſque reſultat.

Quinimò, ut dicam etiam ipſe, quod ſentiam, quemadmodum valet ignis præ raritate major effectus; atque idcircò majorem ſuaptè natura locum expetens, ut in cuiculis facit, terrã movere, & ruinas quamma-

xi-

ximas inferre: cur non id pariter quibit ſeu vapor, ſeu halitus, ſive ipſe aër, vel in vaporem, vel halitum attenuatus efficere? Enim verò ut egregiam ipſe à bellico cuniculo ſimilitudinem confirmandæ rei gratia in medium protuliſti: ità ego aliam ab Æolipila poſſem producere. quam quidem abs te didici; cum non multis ab hinc annis nos Meteora docebas: & quo pacto Naturæ æmuli poſſemus excitare tonitrua. Etenim, si pilam æream mihi comparem (cui à vento, quem emittit Æolipilæ nomen eſt) eamque aqua ad medietatem repleam mox arctè concluſam ferventem in ignem projiciam: ſcindetur haud dubium non multo poſt pila, magnumque fragorem, ſimilemque tonitrui conciebit. id autem ideò uſuvenit, quia aqua in vaporem attenuata majorem ſuoptè ingenio locum affectat: quocirca anguſto pilæ ſinu inſolens contineri, vim facit, pilamque diſrumpens in apertum victrix antevolat. id ipſum verò, quod in Æolipila planè experimur, cur evenire eodem prorſus modo, non poterit, cum terras movet? nempè incluſus vapor aditum ſibi quærens ſurſum connititur, ruptiſque terrarum clauſtris, erumpit, concuſſionemque facit. hūc igitur in modum reapsè fieri negandum non eſt. Hæc ille, cui tum ego: Acutè nimis, & eruditè, & ut humanum hominem decebat. verum ab his me facilè extricabo. Et primùm (quando meis me versiculis urges) Poëtæ ſatis eſt, si quod carmine docet, probabile ſit; habeatque patronos ſuos. imò ſæpenumero ad pervulgatas ſeſe opiniones accomodat. Sed quid tergiverſari opus eſt? Fatear apertè, ut ſoleo, hærebam adhùc id temporis in hæresi Peripateticorum. Ut enim in reliquis Ariſtotelem laudo, quippè virum, & intelligēdi acie, & ſcribendi facilitate magnum; ità hac in re, & compluribus Mathematicis, non audio. De Pontano quid dicam? id ipſum

ſum ſcilicet apertiſſimè aſſerere, quod nos arbitramur illis versiculis, quos ad rem præſentem, quasi divina rem futurum fuiſſe, ut à te percontarer, nuper memoriæ mandaveram, dùm elegantem poëtam lectitarem.

Præterea ſæpe occultis fornacibus ignis
Æſtuat, involuitque globos, ſi quà potis extra
Rumpere, & impoſito luctans ſub pondere ſævit
Improbus, attollitque elato vertice colles.
At poſtquam ſuperas victor pervaſit in oras
Spiritus immiſtus fumo, & caligine denſa,
Pulveream ſpargit tremefacta per oppida nubem,
Immundam, & cinerem jactat vicina per arva.
Æoliam fama eſt Lyparen de rupe propinqua
Hoc ſenſiſſe malum, & lucem doluiſſe negatam.

Viden' ut nobis apprimè favet? imò rem comprobat experimento, cùm ait:

Lyparen de rupe propinqua
Hoc ſenſiſſe malum.

Etenim ſub mortem Africani immani terrarum jactatione è medio mari, quod Æolias alluit, inſula emerſit, quæ ab igne, quem evomuit, ſibi Vulcaniæ nomen fecit. Hæc eadem anno CXLIII. Nonis Febr: tantum ignium eructavit repentè concuſſa, ut tota Sicilia, proximaque Italiæ litora contremuerint. Eſt & in Ægeo mari Theresia abs Thera ingenti quondam concuſſione divulſa: quam quidem inſulam quasi enatam anno IV. Olympiadis CXXXV. partimque ambuſtam igni, partim verò viridem, ac feracem apparuiſſe Plinius refert. Quin etiam ſuperiori ævo hanc propter inſulam magna primùm aquarum fluctuatione, mox efferveſcentia, fremituque ignis repentè erupit. qui tantam pumicum ambuſtorum copiam ejectavit, ut altera ex illis inſula coagmentata ſit. illud verò in hujuſmodi inſularum eruptione mirum oppidò eſt, principiò nimi-

mirum terram intumuiſſe, aſſurrexiſſe deinde in colles, tandem perfracto dorſo, ruptis quasi repagulis, ignem erupiſſe. id ipſum in Heraclæa Ponti cecidiſſe traditum memoriæ eſt. Ex his autem nonne perſpicuè conficitur tantorum motuum ignem auctorem eſſe? Tum ille: Ita enim verò. ſed ut conjicio igni etiam Æolipilam diſſilire dices. Cui tum ego: Rem ipſam putaſti. Nam, etsi non negaverim poſſe nonunquam, quemadmodum in Æolipila evenire, vel oculis ipsis apertiſſimè contemplamur, incluſum vaporem attenuari, atque excreſcere: & sic indocilem inter anguſtias contineri, vim derepente moliri, iter meditatus, terrarumque clauſtra perfringere: atque in hunc modum interdum moveri terras, ac diſſilire. nihilominus id ipſum sine igne fieri nequit omninò. siquidem vapor ille factus præ tenuitate major, terramque ſubmovens obsiſtentem sibi, ſcindenſque, ut erumpat, ſeque explicet in apertum, nonne tenuior excreſcit ab igni? Quippè, inquies. nam si neges; eadem Æolipila, ut concedas, efficiam. nonne illa excandens ab igne incluſam in vaporem aquam attenuat? dabis certè quidem. Et ille: Do enim verò, atque concedo: res enim eſt perſpicua. Ego verò: Si igitur interdum vapor terram quatiens diffringit, ac ſubmovet, vel id effici ab igni concedendum eſt. Quinimò cum incaleſcens vapor paulatim rarus fiat: & poſſit interea paulatim etiam per terrarum rimas (poros Physici Græco vocabulo dicunt) exilire, haud equidem facilè terram concutiet. Ignis verò totus, quantus quantus eſt, illicò conflagrat: & cum totus per poros nullo modo poſſit confeſtim erumpere, aptior erit ad terras ſubmovendas vi ſua, qua repente connititur. Poſtremò ut hactenus dictis fidem ulterius adjungam, vel hoc argumentum producere neque mihi grave, neq; audire vobis sit. anno MDCLXX. xi.

kal. Julias quidquid Galliarum Pyrenæos, & Lemovicum interjacet, horribili concussione jactatum est: quo terræmotu illud cecidit oppidò mirum, & ratum admodum, Balneæ nimirum calidæ, quæ propter Pyrenæos erant, dissipato derepente calore, desierunt: nescio majorene admiratione incolarum, quam damno. istuc verò nonne ideò eveniisse putãdum est, quia nempè ignes subterranei, qui aquam calefaciebant, vi facta, erumpentes dispersi in aërem abierunt? contineri ergo in terrarum sinu ignes, atque ab his dimoveri terras manifestum omninò est.

Hæc cum dixissem, in Pollii sinum perventum est. hic cum amicos in litus exposuissem, ac vale dixissem, jubeo navicularium versoriam capere. tandem tardissimè domum reversus sum.

CAPUT IV.

Circa nonnulla de terræmotibus scitu digna, occasione ab illo capta, qui accidit anno MDCXCIV. *pluribus disputatum.*

RECurrebat September anni MDCXCIV. diesque Virginis Natali Sacer, mihique verò perquam lætissimus, quippè quo sacræ militiæ nomen dederam. qui quidem in anni æstate calidissima perquam serenus, pacato cœlo, tranquillo mari, temperieque illuxerat placidissimus. quin & memoria ipsa amœna amœnitate amœnum, luculentumque reddiderat: quo tempore rusticabatur mecum in Surrentino Quartus Marius. Cum à prandio ad Hypęthræ vestibulum, quo nihil amœnius, nihil alsius, nihil prospectu jucundius, sederemus, Zephyrique, qui spirare cępraverat, delicatas auras animi gratia caperemus, ad me Quartus:

Quo-

Quoniam Natalis eſt Virginis liceat per te mihi Eclogam illam lectitare, quam in Virginis Natalitium conſcripſiſti: teneor enim ſtylo tuo ſimplici, Virginemque colo præ reliquis. Cui tum ego: Laudo ſtudium tuum erga Virginem, quam majores noſtri impensè dilexerunt. Sed cur non Actium potius de Partu Virginis, à cujus nitore, ac majeſtate carminis tantum diſto, quantum æra lupinis, ut dicitur? Ille verò: Actium legemus cum Partus erit Virginis, nunc verò Natalis cum sit, Eclogam illam lectitabo. Tum ego; Quando ità tibi ſedet animo; per me nulla eſt mora. Liber eſt in armariolo cubiculi mei, minorem in formam jam tertium excuſus. Imò verò quartùm; tum ille. Audivi enim à Galvæo tuo è Gallia redeunte librum prodiiſſe è typis Batavis. At ipſe: Retulit mihi etiam iſtuc Galvæus: verùm ego ab amicis, qui ſunt in Belgio, id minimè accepi. Ut verò librum ab armario deſumptum detulit. Cur, inquit, Batavicè potius, quam Gallicè compactum maluiſti? Cui tum ego: Quia hujuſcemodi compactio, & elegans, & perpetua, totumque explicare librum facilè permittit: ubi verò concluſeris, non hiat. Gallica, etsi videatur ornatior, præ tineis citò corrumpitur. Patavina, præterquamquod tineis interdum ſcateat, haud quaquam commoda ad librum expeditè aperiendum, nec hiatu caret. Tum ille: ſcitè tu quidem, & accuratè: mox eclogam lectitavit. qua lecta, eamus, inquam, ego, ad diem diffindendum: nam ſi ſecius toto hoc die dolebo à capite, quod jam mihi incipit ingraveſcere. Tum ille. Tuum eſt jubere, meum verò morem gerere. Nulla igitur mora interpoſita, cubiculum ingredior, lectumque peto. Verùm oculos, quos antea vix apertos continebam præ ſomnolentia, claudere quiveram ullo modo, ſomnum, quem vix repuleram, ulla induſtria conciliare poteram. mira-

bar idcircò, quæ tanta repentè intemperies irrepsiſſet: verebarque, ut me febris corriperet. verum aliud erat in cauſſa: cum enim ex divina mente delibati nobis animi, præſcii futurorum ſunt. Cùm, proh Deum immortalem! ecce tota repentè domus, horrendum in modum ſuccuti viſa eſt: mox nutare ac tremere, fragore, ac ſtrepitu quammaximè horrifico. tum ego, ſuſpicatus, quod verè erat, terræmotu nempè motari domum, ac tremere, illicò aſſurrexi, & quam citiſſimo curſu convolo in ſubdialem ambulationem: proximam quippè, nec illa tutior ex tempore locus erat, in quam ut veni, quasi è vitæ certo diſcrimine liberatus, rediit interceptus præ timore ſpiritus, recreatuſque extemplo ſum. fateor me nunquam tanta animi voluptate affectum fuiſſe, quam tum, cum me in aperto vidi, atque extra aleam fati manifeſtiſſimam. & quasi periculum omne evasiſſem, nihil amplius pertimeſcebam. Nam etsi ruere potuiſſet ambulatio, tamen cum humiliſeſſet, pateretque uniuerſa, putabam non facilè ruituram: & si fortè corruiſſet me non omninò ruina oppreſſum iri; inſiſtens enim deſuper cecidiſſem, & caſu quidem breviſſimo. Attamen aſpiciebam domum univerſam vehementi agitatione jactari, parietes horrificium in modum inclinari, quasi jam jam ruituros: tremere ſub pedibus pavimentum, ac reſultare, ſtridere tecti trabes, ac tegulas, ruere deliciares, motarique arbores in pomario: audiebam item omnem latè viciniam magnis ululatibus reſonare, & quaquà verrus aërem sibilare, ſubſultare. quæ quidem horribilis, atque inſolens rerum facies ſenſu non caruiſſe ſuo, si futura fuiſſet innoxia: ſed timor præſentis periculi voluptatem adimebat. Tum ego Quarti recordatus illum identidem magna voce compello, utque in apertum confugeret etiam, atque etiam moneo. verum cum ſæpius

ad

ad ravim uſque clamitaſſem, ille neutiquam reſpondit.

Poſtea verò quam tellus movere desiit, Quartum è via in periſtylium ſe recipientem conſpicio: Cui tum ego: Ubi eras, mi Quarte, cum derepente perhorrenda iſtæc terræ concuſſio incœpit? num nam dormiebas? Et ille: Minimè: ſed hęrebam ad poſtremos gradus, tabellamque à Junio miſſam perlegebam. primùm rumorem à villico in horto excitatum exiſtimavi. mox ut terræmotum eſſe animadverti, me ſtatim vicinam in viam proripui quam citiſſimè. ex qua veluti è portu domus naufragium expectabam. Et ſanè caſuram ſæpè credidi: præcipuè cum viderem turriculam ex qua Campanum æs pendet hac, illac crebra agitatione jactatam adeò inclinari, ut jam jam crederes ruituram: ipſumque æs undatim agitatum per ſe continuò reſonare. compellavi te ſæpenumerò, ut in tutum exilires. Tum ego: Vocavi te ipſe pariter, ſed neuter neutrum audivit. tantus nempè erat moventis terræ, & concuſſarum ædium fragor. Certè quidem miſericordis Deī beneficio, pientiſſimęque Virginis patrocinio vivimus. ut meritò illud repetere poſſem, quod in altero cecini:

Ne caderet pietas intacta Virginis una
Obſtitit, irato rapuit quæ tela Tonanti.

Ille verò: Ita prorſus, ut narras. Sed deſcende, quæſo, ut vel in pomarium, vel in viam eamus: ne forte tellus iterum tremat vehementius, & nos miraculo ſoſpites, noſtra negligentia pereamus. Cui tum ego: Rectè admones: inque iſtuc ego jam ibam. eum igitur deſcendiſſem non ſine feſtinatione præ timore, in viam ſtatim progredimur. Hic prætereuntē quendā percuntamur, Numquid incommodi Surrentum accepiſſet? Et ille: Corruiſſe ædes plurimas, multoſque mortalium oppreſſiſſe. id ipſum mox ab aliis accipimus. percrebreſcente jam fama, quæ feſtina malorum nuncia-

greſſu fertur quamcitiſſimo, inque magnis casibus mala per singulos paſſus auget. sive quia timidi homines cum sint, ſuaptè natura majora fingunt pericula exaggerant, eaſus, ruinas amplificant: siue quia, cùm ſuopte ingenio ad creandum nati, eum aeceptos rumores ſpargunt, quiſquis vult aliquid addere de ſuo: itàque fit, ut fama magis, magiſque quaſi motu incalefeat, ac novis ſemper aucta incrementis grandior evadat. Hæc ut audivit Quartus: Eamus, quæſo, inquit, Surrentum uſque, ut quid factum sit, noſtris oculis inſpectemus. Scis ibi verſari Junium. ocellum meum, meas delicias: timeo nimirum ne mali quid illi aeciderit. Cui tum ego: Ne, quæſo, Quarte, rumoribus hiſce fidem adjungas: quippè qui mendaces ſæpenumero ſunt. quia verò de Junio, quem ſui meritò ego etiam diligo, ſolicitus es, eapeſſamus nos hinc Surrentum. verum ne tibi grave sit, si prius viſorio tubo aſpiceam meam Neapolim: illi certè ego timeo. Tum Quartus: Iſtue facilè impetras, quod vel ego magnoperè desidero. Cum igitur non sine timore per fatiſcentes undique gradus rimis benè amplis, aſcendiſſem, èq; meo cubiculo paſſim labefactato tubum raptim, ac feſtinanter rapuiſſem, illicò in pomarium perreximus. Hic è calopside tubo explicato, Neapolim inſpecto, eumque dextrorſum, siniſtrorſum tubum verſaſſem cuncta curiosè, ac diſtinctè circumluſtrando, video ſummo amini ſenſu Urbem univerſam conſiſtere: nimirum erectas ſtare turres, aſſurgere templorum tholos, ædeſque omnes, ut antea, perſiſtere. quocircà lætus ad Quartum: Superis gratia, manet Neapolis ſalva, atque incolumis. cuncta enim conſiſtere video, ac permanere. Tum ille: Voluptatem mihi nuncias quam maximam. timebam oppidò, ne in illam iram ſuam latius monſtrum illud exercuiſſet. Sub hæc per hortum nos foras arripimus, atque Surrentum proficiſcimur.

Dum

Dum ambo per compendiariam iremus, ego quod de vigilia mihi acciderat planè aperio, & ut nullo pacto somnum, quo antea peribam, capere potuissem. Ille tũ mihi: Est profectò aliquid divini in nobis, & tibi maximè, quippè Melancholico: & malorum impendentiũ præsaga mens est. nec sanè mentem hanc nobis bonã, ac prescientem malorum indere Superi prætermittunt: nempè sic moniti cavere calamitates possemus. Sed jam Surrentum perventum est. in cujus pomœrio magnam multitudinem conspicimus: partim sibi mutuò vitam gratulabantur: partim sese, quasi revixissent, amplectabantur, partim enarrabant, quæ acciderant: partim verò de futuro soliciti, quò se tutò reciperent, quod peterent asylum cogitabant. Cum autem quidam viri nobiles, quibus cum familiaritas nobis erat, conspicati nos essent, derepentè advolant, & quam strictissimè cõplectuntur, gavisi summoperè, quo salvos viderent, ac sospites. nos contra gratias agere Superis quammaximas, quo sanos ipsos, atque incolumes reperissemus. Post hæc mutua humanitatis officia, rogamus verènè cum cæde multa mortalium ædes corruerunt? Tum illi: Minime. stant omnes; sed, ut credere par est, divorum munere. quamvis singulæ plurimum labefactatæ, ac ruina penè fatiscentes: quippè quæ vitium fecerunt in motu tam diutino, tamque vehementi. è civibus unus tantum puer è patritiis rupe oppressus interiit. cujus quidem casus mirus est, & fatalis. etenim cum à matre increpitus esset, ob nescio, quod puerile erratum, mœrore correptus domo intempestivè egressus est: perrexitque ad mare. Ut verò ad urbis januam venit, concuti tellus cœpit, ille insolenti motu de mente detutbatus, cum ad patentem maris oram, in quam rectà tendebat, capessere statim sese posset, ad proximam obliquè rupem divertit. illa repentino motu excussa, illicò

ſe præcipitem dedit, puerumque oppreſſit. Tum ego: Magnoperè tam acerbam miſeret me pueri vicem. ſed quid facias? ſic ſumus homines, ut multis, & variis ſeu Fortunæ, ſeu caſus ictibus pateamus. Tum Amici: Sedete, quæſumus, hic tantiſper, ut nos præſentia veſtra, ac veſtris colloquiis recreetis. Quibus ego: Quidni maximè ſedeam? Quartus verò: Sedete vos, inquit: ego, dummodò id vobis grave futurum non ſit, Junium inviſam; huc mox revertar. Illi verò: Imò gratiſſimum, quando tibi ità conſtitutum eſt. Poſtquam ille ſe è conſpectu noſtro ſubtraxit, nos juxta pomœrium in ſedilibus ibi extructis inſedimus.

Vix dum ſedimus, cum nobilium quidam natu grandior præ cæteris, & literis non leviter imbutus: Cenſeſne, inquit, moturam iterum terram eſſe, necne? hic enim ſtimulus, fateor equidem, mihi animum non leviter pungit: & inter ſaxum tenet, & ſacrum, ut dicitur. Cui tum ego: Id certò affirmare nullo modo poſſum: negare, ne id quidem. Enim verò cum hujuſcemodi motus cauſſæ in ſinu terrarum abditæ lateant omninò (nullus quippè in illum aditus nobis patet) ſit ne futurus illarum effectus, an non? hocne tempore, an ne illo? majorne, vel minor! nequit ſanè prævideri. Poſſunt equidem Phyſici, non nego, ex phyſicis rerum cauſſis futuros effectus præcognoſcere, præcognitoſque prædicere. ſed eos tantum, quorum plane notæ, perſpectæque ſunt cauſſæ. Ità Mathematici occultationes tum Solis, tum Lunæ: hujus item apparentias quam varias, Planetarum diverſas inter ſe habilitates, cæteraque hujuſcemodi multò antè prædicimus. etenim & rati, & certi, conſtanteſq; ſibi cum ſint illorum metus: inque digitos mitti, componique calculo poſſint; inde fit, ut illa prænoſcamus, & longè antè quam futura ſint, rectè prædicamus. Tum ille: ſed plurimi terræmo-

motus prædixerunt: & interdum divinarunt. Cui ſtatim ego: ſed interdum, interdum autem? imò ut plurimum convincti ſunt falſum prædixiſſe. Ille verò. Ita prorſus: non inficior. Cui ego: Verum si ex præcognitis cauſsis terræmotus prædixiſſent, neceſſum fuerat ſemper verum prædicere: manent enim eædem cauſſæ, & eodem modo. Quod quidem falſum cum ſit, id planè efficitur, quod apertiſſimum ſanè eſt, nimirum illos non ex cauſſis effectus prædixiſſe, ſed caſu. qui verò caſu divinant, etsi verum nõnunquam dicunt; falsò tamen dicunt: temerè enim, non ratione pronunciant, quod ratiocinatione nec deducere ex cauſſis, nec pronunciare poſſunt. Hic ille: Aſſentior prorſus. ſunt hæc manifeſta? omnique me dubio liberaſti. Eja verò age, dic, id abs te ſcire ſummoperè avemus, Poſſuntne ex mutua Planetarum habitudine, terræ nutationes excitari? Nam si ita: prædici etiam poſſunt. Ajebat enim, si rectè memini, quidam Aſtrorum, ut ferebatur, interpes, Saturnum siccitate ſua effieere terræmotus: eoſdemq; oriri à Marte, præſertim si hic Saturni ſtellam obliquè positus aſpiciat, quasi ſcævo vultu. quem ille aſpectum ſextilem vocitabat, & malignum. Hoc loco, non sine riſu: Uſque adeò, inquam, delirant homines, ut iſtæc effutiant? ducito illas, mea fide, meras nugas, & commenta Caldæorum, qui præ reliquis mortalium ſuperſtitioſi, ac vaniſſimi meritiſſimò habiti ſunt. aniles omninò fabulæ, nec nisi inſciæ plebeculæ decãtandæ. Nihil prorſus Saturno eſt, nihil Marti cum terræ jactationibus: quæ in Vulcanum certè melius referendæ, tanquam ad auctorem. Igni enim tellus tremit, ac titubat. quænam, quæſo, commercia cum ignibus ſubterraneis, ſtellis ſunt? quis vim iſtam illis effectricem indidit? & si ſemel indita, quis per tam immane ſpatium, quantum à Saturno ad terras eſt, propagari poſſe fa-

facilè credatì ego certè quidem nunquam ità animum induxi, id ut crederem. Tum ille: Neque verò ipſe omninò verum eſſe arbitrabar: hærebam nihilo tamen minus. nunc autem, cum id manifeſta à te argumentatione effectum ſit, nihil admodum eſt, quo amplius addubitem. Verum, age porrò: & quoniam dedita occasio (quam tamen dari noluiſſem) planè nos inſtrue. ferunt nonnullos terræmotum prædixiſſe ex aqua puteorum. cum enim præter ſolitum turbidam derepente factam, ac ſulphuream hauſiſſent, inſtare mox terræmotum præmonuere. Ain' tu id evenire potuiſſe? Cui ego: Quidni? id verò non multo ante prædici poſſe, ſed cum tellus jam jam motura eſt. Enim verò cum concepto jam igne, materies in qua ignis ſemina veluti latitant, ſensim accendatur. turbari fontes, inficique ſulphure verisimile eſt. Hac præſentione (exemplum eſt in promptu novum) perhibent, integrum Beneventi ſacrarum virginum cœtum ruina exẽptum ſanum, ac ſoſpitem ſervatum eſſe. Etenim cum medicus ad inviſendam ægrotantem virginem Cœnobium ingreſſus, præ nimia siti (erat enim æſtus ferventiſſimus) aquam petiiſſet: hauſtam illicò virgines medico obtulerunt, medico autem? imò ſervatori. Siquidem turbidam cum ille animadverteret, & ſulphurei neſcio quid olfaceret, Hem, inquit, terræmotus inſtat: propipiamus nos hinc, quæſo, in pomarium. vix diffugerant, cũ vehementiſſimo ſuccuſſa pulſu terra ſubsiluit. quo motu illicò univerſum Cœnobium proſtratum eſt. nec niſi una ægrotans virgo, cui ad fugam morbus viam præcluſerat, brevi fatum prævertit. reliquæ è puteo dum aquam hauriunt, vitam educunt. quæ cum ita ſeſe habeant, è turbida puteorum aqua futurum terræmotum certa colligi ratione poteſt. atque hinc noſter Pontanus

Turbatos putei eruptant ſuper oſtia fontes.

At id non in cujuſquemodi puteis exſtimo evenire, ſed in profundis, qui inibi ſalientes habent. nam qui per teſtaceos canales aquam accipiunt multò antè turbari haud quaquam probabile eſt. Hic ille: At ſi ita eſt, ut rectè narras, cur ex nimia anni ſiccitate, vel ex magnis imbribus futuri terræmotus prævideri non etiam poſſunt? attenuantur enim ſiccitate vapores, ut erumpant: aquis verò meatus opplētur, ne exiliant: atque ita utraque ex cauſſa, quamvis cōtraria, movere terra quam facilè poterit: & cum motura eſt, præſentiri. Tum ego: Ingeniosè quidem: verum huic rationi sic occurram: Vapores non tam ſiccitate, quam calore attenuari cōpertum eſt. qui certè calor terræmotuum potior eſt cauſſa. jam verò sintne accensi in ſubterraneis cavernis ignes necne, quis, licet Argus, introſpiciat? nemo quippè. ſi ergo introſpiciet nemo, nemo etiā terræmotus prædicet. oppleri meatus præ nimia imbriū alluvie, concedo (etsi interdum tellus emollita perquam facilè relaxetur) at ſi tum ignis è ſinu ſulphureæ, ac bituminoſæ materiæ non exarſit, terræ concuſſiones minimè excitabuntur. Tum ille: At ſi iſta concedamus; neutiquam verum erit frequentius Vere, atque Autumno terram jactari, ac concuti. Cui ego: Ità enimverò. Et ille: Sed quam tu viam inibis, ut id perficias? Ego verò: Per exempla: quæ quidem compendiaria eſt, & magis expedita. habemus enim id ætatis, in quam incidimus, quamplurima. Tum ille: Juvat hanc inire. i præ igitur, te ſequar. Cui tum ipſe: Quod efficere inſtitui, contendam illicò. Terræmotus, quo Samnii princeps Beneventum ſua fundamenta tertiùm vidit, lacrymis irrigavit, ac civium ſuorum ſanguine conſpersit, & quo univerſum penè Samnium concuſſum, deſolatumque eſt, nonne incidit in æſtatem? ille, quot-

quot

quot hoc ſeculo acciderunt quammaximè terribilis, quo Catana Siciliæ olim princeps, urbeſque plurimæ vel ſolo æquatæ, vel abſorptæ: omniſque Sicilia congemuit, nonne ſub mediam hyemem dæſeviit? Hic, quem adhuc præſentem perhorreſcimus (nec ſanè, ut arbitror, sine ruina multarum urbium alibi tellus ſuccuſſa eſt) nonne æſtatem hanc clade insignivit? Hoc loco ille: Ne plura, aſſentior & his: res eſt perſpicua, Verum agesis, pergamus ad alia. Verumne quod vulgò circumferunt, terræmotu videlicet imminente, ventos conquieſcere, ac miro silentio cuncta obmuteſcere: ſtupente nimirum natura, atque attonita ob futuram mox calamitatem? Cui tum ego: Et hæc nugæ omninò. Nonne Zephyri aſpirabant, & quidem vehemẽtius, cum paucis ab hinc horis tam terribiliter terra movit? Imò interdum hujuſcemodi concuſſiones venti vehementiſſimi, quasi claſſicum canerent, præcurretunt. idque ſæpeſæpius eveniſſe, & proditum hiſtoriæ, & novum probat exemplum. fertur enim terræmotum Siciliæ ingenti ventos turbine non longè antè prænunciaſſe. Tum ille: Ita eſt enimverò, facilè deſcendo. Verum age, reliqua sis percurramus. nam ſermonibus tuis nihil mihi gratius cadere poteſt. Cur ſaltem experientia docti non poſſumus prædicere, futuri sint, nec ne terræmotus: brevine mora, an longiuſcula duraturi? Cui ego: Quia de his certam facere conjecturam nequaquam poſſumus: nempè cauſſæ latent omninò. præterea, quæ conjectura fieri poteſt ex re tam varia? Anno MDCLXXXVII. ſemel tantum tellus concuſſa eſt, & pulſu vehementiſſimo, & quamvis sine cæde mortalium, non innoxiè quidem: adeò domus tum privatas, tum publicas labefactavit. Secuto deinceps anno (non longius exempla petam, quando ætas noſtra multa ſuppeditat) primum tellus ita leviter movit, ut

ple-

plerique motum non ſenſerint. mox infra horam adeò vehementi pulſatione, & tandiu jactata eſt; ut cædes illas mortalium & vidimus attoniti, & meſti deflevimus. deinde alteto die iterum, nec quidem leviter excuſſa eſt. ac ferè per ſex menſes identidem movit, anno MDCXCIII. horrendo primùm fragore, & bombo, motuque terribili tota fermè Sicilia contremuit: ſecundo die quievit: tertio verò, quasi tertiana laboraret, vehementiſſimo pulſu, bomboque horribiliſſimo è fundamentis excuſſa eſt: totque urbes dirutæ, tot millia mortalium ruinis obruta, ut quasi de Sicilia conclamatum videretur. exin ad menſes plurimos frequentius jactata eſt. Cum eſſem in Calabria, ter terra diversis temporibus movit sine noxa.

Quoniam verò mihi Calabria in mentem incidit, quæ tellus, quippè montana, & metallorum ferax, crebrò ſuccutitur, de illo ſermonem inferam, qui in annum MDCLIX. incurrit, & quo totus ille extremæ Italiæ nobiliſſimus olim tractus, Magna Græcia veteribus appellatus, penè deſolatus eſt. Prima terræ ſuccuſſio incidit perquam violentiſſima; itaut momento principem urbem Conſentiam, innumeraſque alias dejecerit, cladeſque ediderit ingentiſſimas, magno tum horrore, tum fletu mortalium. continuavit deinceps ad menſes telluris jactatio, variis identidem modò ſuccuſſionibus, modò jactationibus. quarum quædam majori, quædam verò minori fluctuatione acciderunt. interdum per dies ſingulos, eoſque ſolidos terra, quasi oſcillaret, continuò viſa eſt nutare, ac tremere. tandem poſtrema ſuccuſſio quammaxime terribilis, majorque prima, proculdubio fuit: tamen minus damni intulit. nõ enim hoſtem habebat, quem feriret. nempè homines degebant in tabernaculis, ac tuguriis, ædificia humi proſtrata, inferius cadere non poterant. nonnulla tamen vo-

ra-

raginibus abſorpta ſunt. In hujuſcemodi terræmotu illud uſuvenit, quod in artificialibus, ac feſtivis ignibus quotidie conſuevit: primum incipiunt magno ſtrepitu, magniſque flammis: deinde continuantur remiſſius: tandem desinunt bombo validiſſimo, immenſoque ſparſorum ignium, vel imbre, vel grandine.

Sed pergam deinceps narrare, anno MDCXVII. quo Apulia, quam Dauniam vocant, magna hominum occisione vaſtata eſt. atq; urbs, cui à Divo Severo nomen, ſolo æquata eſt miſeranda civium internecione: terra quinque horas continuâ jactatione, agitata eſt miro modo; ut non Italiam ſolum, ſed orbem totum ruiturum crederent. Hic ille: Meritò quidem; cuinam videretur ſecus? Tum ego: Mitto reliquos qui in hoc ævum ceciderunt, ne tam longa repetitione malorum vobis faſtidium creem. Satis enim, ex hactenus enumeratis rectè infero, nihil omninò certi de terræmotibus ſtatui experimentis poſſe. Tum ille: Adeò enucleatè, atque eruditè iſta pertractaſti, ut omni prorſus dubio, quamvis ſcrupuloſiſſimus, tandem liberatus sim. Verumtamen eſt adhuc unum, quod abs te ſcire desidero. cur ſæpenumero Calabria, quia montana eſt, ſuccutitur! Tum ego: Quia in montium cavis magnam vim ſulphuris, & bituminis alit: hiſce verò igni materiam ſubminiſtrat. Atque hinc efficitur manifeſtè terras omnes montanas magis, magiſque hujuſcemodi motibus obnoxias eſſe. quoniam cavernoſæ ſunt, plurimaque ignis, vel ſemina, vel pabula præcontinent: campeſtres verò, cujuſmodi ſunt Ægyptus, Arabia deſerta, Meſopotamia, Sarmatia, Scythiaq; univerſa, cum pauciores sinu caveas complectantur, perpauca admodum illiuſmodi pabula progignunt: adeòque quam rariſſimè contremiſcunt. Atque in id ſermocinationis rediens offendit Quartus, quoniam verò jam veſper appete-

bat,

bat, amicos rogo, Numquidnam juberent? Illi verò: Ut veſtræ ſalutis curam habeatis: nobis verò Numen veſtris precibus concilietis. quod cum pro viribus facturos ſpopondimus, atque recepimus ad nos, rectà in villam conceſſimus.

Inter redeundum ità me Quartus interpellat: Quid agemus, Parthenie, hac nocte? in ſomnes cerrè illam transigemus, ac vigiles. quis enim ſomnum, etsi oſcitantiſſimus, capiat in tanta animi perturbatione, tãtoque periculo? Cui ego: Fateor equidem, mi Quarte, haud ſanè facilè in re tali conquieſcere. verum, utcumque res eſt, ità opus eſt, ut animum habeas. Et ille: Dormiemus igitur in cubiculo? Cui ego: Quidnam non? Tum ille: Vidiſtine domum poſtquam desiit terræmotus? Et ego: Non planè benè: cursim enim deambulationem pertransivi, cũ viſoriũ ut acciperem tubũ, aſcenderem. vidi nihilominus illam latè conſperſam incruſtatione parietum. Tum ille: Nihil vidiſti, præquam quæ senties. Fornix totus quantus, quantus eſt, ut mihi narrabat Fabiolus, per totam ambulationis lõgitudinem medius diſciſſus, atque interciſus: cubiculum tuum, & quæ media interjacent paſſim labefactata: quinimò laterales parietes ſubsiderunt, diſruptis arcubus: caminus ferè totus corruit, atque ollas, teſtudines, lances, quas nondum Fabiolus amoverat, contrita. Hic ego ſubridens, O magnam calamitatem! ò jacturam non ferendam! miſeret me culinæ vicem! verum utinam in hæc tantum irã ſuam omnem peſtis illa evomiſſet. fuiſſet ſanè innoxia. Hic Quartus animo ſubirato: Rides? Cui tum ego: Mavis, ut lugeam? Næ ego levis, qui omni vento hac, illac ferar. quidquid accidit in humanis ferendum eſt æquo animo: neque verò expedit nimio timori, triſtitiæque locum cedere: niſi volumus eſſe miſeri, fatumque maturius accerſere.

Tum

Tum Quartus: Næ tu Stoicus; quem tamen Platonicum habebam. Dormiemus igitur in cubiculo? Cui ego: Si locus est alter, quem tutiorem prudenter existimem, minimè verò: sin minus, standumne sub dio? Quoniam verò non suspenso gradu, ut solebamus, sed perquam celeri veneramus, domum quam citissimè reversi. in cujus vestibulo Sacerdotem, cui domus cura est, hominem simplicem, ac religiosum obviam habemus. qui statim voce admodum tristi, & quassa (est enim natura timidissimus) Perivimus, inquit. adeò labefactata domus est; ut, si terra iterum moveat, nos proculdubio oppressura sit. Quo audito, Quartus animis ominò concidit, meque rogat: Divertamus, inquiens, in pomarium, ut ibi opportunum quieti locum vestigemus. Ut venimus, prima villici nobis casa occurrit. verum hæc adeò pervetusta, ac sordida; ut plus timoris, ac stomachi, quam tutaminis allatura nobis videretur. hinc pergimus in Fornicem testudineatum. in hoc visum Quarto posse tutò conquiescì, si latera inter pilas patentia concluderentur. quia verò id perdifficilè in illa temporis angustia confieri posse videbatur, nec satis tabulatum suppetebat, ait Quartus: Quidni exrensis stragulis occludamus? faciemus veluti scenam. Tum ego: Rectè excogitasti, ut nimirum in illa agatur nostra comœdia. præterea viden, ut in ipsa collis crepidine insistat? quid facilius, quam si terra iterum succutiatur, una cum fatiscente rupe sese præcipitem agat in mare? Eamus, quæso, in atrium domus. Ille verò: I præ: sequar, etsi animo haud volenti. Vix intravimus, cum Quartus amplissimum dolium conspicatus, quod inibi erat, ità ait mihi: Cur non quiescamus in isto dolio, quod in medio Xysto collocabimus? Cui tum ego: Ridicularia sanè excogitas, Quarte: an me cynicum Diogenem putas? intelligo, præ timore

non

non ſanè fabularis. Verum age, cedò, quid agemus ambo tota nocte, veluti conclusi, in iſto dolio? quinimò quo pacto per anguſtum illud foramen introibimus? Ille verò tum ſeriò: Os totum aperiemus amotis aſſeribus: intrò culcitram inſternemus cum pulvinari: & sic faciemus grabatum ex tempore. oſtium, ne nocturnæ auræ noceant, ſtragulo operiemus. Tum ego: Tu certè quidem deliras, Quarte. omitte, quæſo, timorem iſtum, qui iſtæc perridicula tibi in mentem infert. quæ quidem cordatum non decent, nec philoſophum, quem tu profiteris. Erat dolium ſub porticu, cui ſubdialis imminet ambulatio: inibique cubicula aliquot in ipſo periſtylii plano inſtructa, quæ, simul ac ingredior, integra conſpicio, neque uſpiam labem animadverto; quocirca ad Quartum: Hic ſoporem conciliare tutò poſſumus; minus enim labefactata cum sint, & humilia, caſui haud quaquã erunt obnoxia: vicinum habent hortum, quò derepente nos capeſſamus, si res poſtulabit. Hic tandem Quartus meæ ſententiæ acquievit. accito igitur villico, jubeo lecti fulera, & tabulatum cum lanea culcitra cõfeſtim deferre: nos ſyndones, & lodiculam cum cervicali geſtavimus. inſtructique deinceps lecti. poſtremò, ubi frugi ſe cœnula Quartus refecit; nimirum pane, caſeoque martio laudatiſſimo, & pyro Falerno mitiſſimo, tum demum cubitum ivimus. non tamen cunctis exuti laciniis, ut illicò, si quid novi terra moliretur, expeditius diffugeremus. relictum etiam in cornu lumen eſt, ut quà in hortum recta properandum, diſtinctè videremus: ne fortè in contrariam partem præ formidine, ut cadit ſæpenumerò, diverteremus.

CAPUT V.

Occaſione peregrinæ potionis amico in ſummis caloribus ſubminiſtratæ, quæſitum, quid eſſet illud odoramenti genus, quod Muſcus *vulgò dicitur.*

PRidiè Kal: Auguſti, quo tempore æſtuoſiſſimi ſunt dies Caniculares, à meridiano ſopore ad hypęthrę veſtibulum conſederam, ut ventulum perquam delicatum, tum primum aſſurgentem, captarem, quo calorem aliquantulum temperarem, cùm è mari clamorem geminatum identidem exaudio: ſimulque adeſt villici puer, nunciatque eſſe in ſcopulo ex noſtris hominibus unum, qui me nominatim frequentius inclamabat. Ego tum ſuſpicatus, quod re vera erat, veniſſe ſcilicet è Brutiis, unde in dies expectabatur, Valerium, confeſtim aſſurgo: aſſumptaque ſciade, quà à nimio me Sole defenderem, in hortum deſcendo: atque hinc in oram maris. Ut veni, educto vecte ferreo, poſticum oſtium aperio: ubi proforibus præſtolantem Valerium conſpicio. quem illicò arctiſſimè complexus ſum. ſimulque rogo, cur tanto poſt veniſſet? Tum ille, non ſine intolerantia, quæ res eſt in homine ad gratiam: Haud equidem, inquit, rogandi nunc tempus. ſine modò eam domum, ut indusium mutem. totus enim præ calore madeo, ac perfluo. Cui tum ego, ut per jocum idem illi reponerem: Ut video, nonnihil intemperiei te agitat à Sole. ſed nolo te magis urere. eamus: simulque illi umbraculum porrigo, quo ſe tegeret ab æſtu nocentiſſimo. mox pedetentim, & gradatim per acclive collis ſcandere cœpta vimus, quoad in altum evasimus.

Poſtea verò quam domum perventum eſt; Ille: Totus benè, inquit, toſtus medullitus ſum, sitique depereo.

fac

fac igitur,ut quantocyus Massilicâ mihi aquam præpares, qua me refrigerem. Ego nihil cunctatus peregrinam potionem adorno. Ille interea madefactam exutus subuculam, sudorem omnem detersit. cùmque aliquantulum quievisset, è cubiculo prodiit. Cui tum ego: Exuistine cum subucula illam tuam impatientiam? At ille, ut qui ab unguiculo ad capillum summum totus est festivissimus, quique citra personam omnem posset agere comediam: Exuam illam, inquit, cùm pellem deposuero. at tu quando tetricos istos humores tuos decoques tandem? Verum non opus est verbis: da mihi mulsam istam egelidam, Tum ego,illi vasculum potrigo. quod cum exhausisset,Da,inquit, plusculum nivis istius tam melleæ,tam odoratæ. Deinde, ut sedit: Dic, quæso (nam id non te præterit, quippè eruditum) quid sit odoramentum illud, quod istæc aqua suavissimè redolet? Siquidem cum id nobilis quidam à me petiisset, nihil prorsus habui, quod dicerem. Cui tum ego: De hoc alias: de te aveo nunc multa intelligere. Et ille: De me postea,& per otium,nam apud te manebo,quatum voles: neque faxessam hinc, nisi cũ jusseris. illud verò si omittamus, memoria excidet. Tũ ego: Si ita jubes,tibi morem getam. sed paucis admodum dicam: ne defatigato tibi ex itinere negotium facessam. Et ille: Modò narres, nihil interest pauciſne, an multis. Tum ego: Ultrà Caucasum in penitissima Scythia, quam extra Imaum veteres dixerunt, novi Orientales *Tartaros* appellant, regio quædam est, immensis penè sylvis obsita, atque impedita. hisce verò in sylvis ingens quorundam animalium copia est, quę ovibus nostratibus præter cornua,quibus carent, & aures,quas erectas tenent,quam simillima sunt, etsi paulò grandiora. hujusceemodi oves Scythicæ sub ventre paulò supra inguina vesicam quandam habent; ovo

gallinaceo æqualem: in illa materies quædam ineſt, quę addenſati ſanguinis præ ſe ſpeciem gerit. & fortaſſe nihil aliud eſt quam concretus ſanguis. hujuſcemodi verò materiam acutiſſimum illum æquè, ac ſuaviſſimum odorem exhalantem *Muſcum* novo vocabulo dicimus, qui Latinis ignotus omninò fuit. Vesica, animante capto, præciditur: præciſam non ſtatim ligant, atque occludunt, ſed aliquandiù apertam tenent, ut odor ex parte evaporet: nam si ſecus fieret, vehementiſſimus ille odor, admoto naribus muſco, illicò ſanguinem eliceret, læſoque repente cerebro, præcipitem virium lapſum afferret. uſque adeò verum illud; Ne quid nimis. Et optima quæque si modum excedant, maximè nocent. omnibus quippè in rebus ſervandus modus. Hic Valerius: Rectè mones. Sed age, ſuntne illiuſmodi oves domeſticæ, an verò ſylveſtres? Tum ego. Sylveſtres: nempè Scythicam præ ſe naturam ferunt. Et ille: Si ità, quonam pacto capiuntur? Tum ego: Hoc modo: Martio menſe, è ſuperiori Scythia, ubi eo tempore ſub immensis nivibus ſqualleſcũt arva, nec quidquam pabuli ſuppeditãt, illiuſmodi oves, Meridiem verſus concedunt: èq; latitudine partium LX. ut dicunt Geographi, deſcendunt ad partes uſque XLV. ubi id temporis mitius cœlum eſt, & campi, in quibus oryza, & triticum ſata, viridiſſimi, ibique famem, quà penè peribant, abundè explent. Tum venatores, ubi locorum anguſta, vel laqueos, vel retia inſtruunt: quibus nullo negotio innumeras capiunt. alii jaculis conficiunt, nonnulli paſtorali pedo, vel pertica. quinimò adeò macilentæ, ac prę fame languidę, ut illas vel curſu agricolæ aſſecuti capiant. certiſſimum nempè illud; nullum nimirum eſſe animal, quamvis ferox, quod fames tandem non domet. Hoc loco puer intervenit, nunciatque virum quendam nobilem pro foribus me con-

conventum expetere: quocirca assurgens ad fores procedo.

CAPUT VI.

Recitatur carmen de lue hypocondrica, quaque adversus illam præsentior medicina sit, perscribitur: deinde iter Amalphim malis avibus susceptum enarratur.

IN Surrentino primulùm valetudinis caussa cum Lucilio rusticabar, quo tum gravitate morum, tum egregia ingenii indole chariorem habui neminem; nec fidum magis unquam Achatem, cui meum animum, mea consilia tutò crederem. rarum admodum inventu, porrò autem frui diù difficilè. Qui & ipse, ut clementioris cœli temperie valetudini consuleret, impetrata à mitissimo illius anni Proprætore venia, saluberrimum in rus concesserat. Dum ambo sub Idus Sep: in Xysto ad otium sedemus, intereà loci Eulalius venit, & necessarius, & popularis noster. qui & ipse vel ingenio, vel moribus charissimus mihi fuit. Cui statim assurreximus, & nobiscum sessum recepimus. Deinde rogo, unde veniret? & quis bonus ad nos Deus deduxisset? Ille verò: E Capreis rediens ad te diverti, ut inviserem, & amœnissimum rus istud contemplarer. simulque mirari cœpit, & magnis laudibus commendare loci amœnitatem, apricum cœlum, viridissimum agrum, & prospectum quaquàversus jucundissimum. cumque rus omne summa vel oculorum, vel animi voluptate circumspexisset; I'roh Superi! inquit, cur non hìc majores nostri Autumnalis otii sedem posuere? quam, ambusto propius à Vesuvio, inter ingratas populorum umbras, in solo arenoso, cœloque fucis, ac muscis refertis-

simo esse jusserunt. Cui tum ego: Omittamus istæc, quæso, neque velis mihi vulnus refricare. satis enim, diuque hic me stimulus pupugit. nempè mortalium hoc fatum est; ut in jis, quæ ad nostram felicitatem spectant, turpissimum in modum cæcutiamus. Hic Lucilius, cui in manu ingenium semper erat: Frustra, inquit, causamur Fatum, quando ipsa plus æquo tenax hominum parsimonia in caussa est. majores quippè hic loci sumptus forent. Cui Eulalius: Lucili, rem acu tetigisti, ut semper soles. conversusque iterum ad prospectum maris: Deum immortalem! inquit, cui obrepere tædium posset in tam amœno, tam florido rure versanti? Tum ego: Posterius istæc, & per otium, & ad satietatem usque contemplaberis (nam te dies aliquot futurum apud me non dubito) nunc ad alia agesis sermonem transferamus. Et primò, valentne rectè amici? Ille verò: Planè bellè: teque omnes salvere jubent: magnoque opere scire desiderant, benè valeas, necne? Cui tum egò: Inspice frontem. Tum Eulalius: Ex illa, conjicere certò possum, te meliusculè habere. Etenim color aliquanto sanior, & genæ aliquantulum pinguiores. Eja verò age, dic, subactine, fugatique ab hac aëris clementia nocentissimi flatus hypocondriei? teterrima illa nimirum lues, quæ te, tuumque Lucilium tantoperè exeruciat. Tum ipse: Etsi mitiores facti, pertinacissimè tamen perseverant: atque ex intervallo etiã insultant. Nihilo tamen minus sperarem certò infandam hanc nostri temporis hydram me penitus jugulaturum, si cœlo hoc & salubri, & geniali integrum annum fruerer, cura, & negotio vacans. verum age porrò, quæ raptim subtexui contra hanc pestem carmina, quæ etsi nondum resecata ad unguem, tamen haud gravatè accipito: insanire otium fuit. Tum Eulalius: Rem mihi facies gratissimam, ponamque illam in beneficii loco.

co. quocircà audiam volenti animo, & auribus avidiſsimis. Tum ego: attendite igitur: carmenque memoriter recito ad hunc modum.

Peſtis, Tartareo quà non crudelior Orco
Erupit, nigraque trahens caligine nimbum,
Eumenidumque odiis, Furiiſque afflata malignis,
Omnem momento terrarum effuſa per Orbem,
Proh! quantos miſeris caſus, ſtrageſque creavit.
Nam non una maligniſcit violentia, centum
Diverſos agit effectus, diverſaque rerum
Portenta, & formas mutat vis effera centum.
Ceu Protheus (ſi vera canunt) ſæpe aſſolet omnes
In rerum ſpecies, & in omnes ire figuras.
Sunt, quibus halituum denſa ſtipante corona,
Lethifer inſedit circùm præcordia peſtis,
Ac velut interdum crebris aſſultibus arcem
Improviſa petit manus, obſeſſoſque fatigat:
Vt ſic tranſmitti foſſam, valloque potiri
Detur, & in capta tandem dominarier urbe.
Non aliter vitæ irrumpens ferus impetit arcem
Halitus, & tetra effuſus cor occupat umbra.
Excutitur primùm miſer, atque horrore rigeſcit
Spiritus: hinc ſubito langueſcens ſupprimitur cor.
Ceu oleam ſuper accenſam ſi protinus undam
Sparſeris, extemplo major ſe flamma ſub auras
Attollit, fremituque ſonat, circumque relucet:
Sed cita deficiens mox decidit, & perit omnis.
His verò in caput exhalat tenuatus, & ipſum
Immiſſus cerebrum pervadit, agitque furores
In varios, miſeroſque modis, lacrymabile, miris
Excruciat: hi ſe tetris humoribus acti
Perdere amant, & ſponte ruũt in flumina, & undas:
Perque ignes alii, ferroque abſumere vitam
Exoptant: illi ſeſe demittere ab alto

Præcipites voluere: hos & quos inficit aura
Tenuior, & ſenſim obvelat perfuſa cerebrum,
Actutum aſpicies dulci langueſcere ſomno,
Exanimi ſimiles: at nunc baccharier ade:
Ceu quos Liber agit, ſtimulans præcordia thyrſo.
Hic riſum ciet inconcinnum, & non bona verba
Effutit: digitos movet hic ſine lege ſolutos:
Hic pedibus ſaltat: longa vertigine fertur,
Alter, & obducta caligant lumina luce.
Hunc montes, altæque juvant in montibus umbræ,
Ac nemorum deſerta colit loca ſolus, & omnes
Vrbanos odit ſtrepitus, Martiſque tumultus.
Alter at hic, media quamquam verſetur in urbe,
Solus agit vitam, atque hominum conſortia ſpernit,
Hic colles petit apricos, & amœna vireta,
Et valles, & prata, levique ſonantia rivo
Flumina, & herboſo depictas margine ripas.
Verſari ingenuos inter cupit ille ſodales,
Ac lepidos miſcere jocos, & mollia verba:
Sic dies trahere in longum: ſed ſi citus inde
Denſior ex imo exhalet vapor, omnia, rupto
Fœdere, turbantur: veluti cùm pace refracta,
Qui quondam ſocii fuerant, ſeſe ilicet armis
Invadunt, acuuntque iras, & prælia miſcent.
Inſultat dictis mordacibus, omnia vertit
Turbidus, ore fremens, furiiſque incenſus iniquis,
Hac miſer, atque illàc agitur: quæque ante placebãt,
Odit colloquia, & ſimul ipſos odit amicos.
Sunt infelices alii, quibus efferus hepar
Excruciat dolor aſſiduè, quique humida ſerpens
Spargitur interdum diffuſa in viſcera peſte.
His ventoſa crepant hypocondria, creber & intus,
Proh dolor! inſanos ſtimulis agit Æolus Euros.
Sed quos tetra lues ſpecies, quot dira nocendi

Se-

Semina, quotue modos habeat, quis verſibus unquam
Explicet, aut poſſit tantos æquare labores.
Verùm dira licet ſint tot contagia morbi;
Ingenteſque ferant ærumnas, attamen illud
Haud equidem nobis animo meliore ferendum eſt,
Quod ſtudia in peſſum (proh fata occulta Deorum)
Atque artes ſimul ingenuas, Muſaſque dedere:
Nanque infanda lues non ſegnes impetit artus,
Nec molles animos, & amantes otia vexat:
Sed quos Phœbea ſuccendit gloria lauri,
Vt primos Muſis annos, floremque ſacrarent,
Hos illa, hos Stygio invadit lymphata furore.
Quid tantum, ò Superi, meruerunt Palladis artes
Ingenuæ, ut tanta illuvies erumperet Orco,
Qua juvenes ipſo correpti in flore juventæ,
Aut cum Pieriis facerent divortia Muſis,
Aut dulcem lacrymanda darent per funera vitam!
Credo equidem, maleſana luem Phlegethontis ab imo
Invidiæ nuper ſtimulis agitata malignis
Tyſiphone immiſit terris; quia ſcilicet illa
Vndique Apollineis florentes artibus urbes
Viderat, atque necem vitiis inſtare ſupremam:
At vos Cœlicolæ, purum quicunque tenetis
Æthera, & innubi fulgentes lumine Soles,
Infandam, precor, hanc terris arcete benigni
Illuviem, Stygiaſque iterum detrudite in umbras,
Si vobis ſtudia, & virtus pulcherrima cordi eſt.
At tu Phœbe Pater, tuque ò Tritonia Pallas:
Quandoquidem res veſtra agitur; nam numine veſtro
Monſtratæ primùm doctæ mortalibus artes,
Ferte pii dextram, & communem extinguite peſtem.
Nec ſinite, ut veſtros inter graſſetur alumnos:
Et ſtudia ingenti tandem collapſa ruina
Dira lues impunè trahat: deſertaque paſſim

Flu-

Flumina Permeſſi jaceant, Pindique beatum,
Argutumque nemus. Verum ſi Fata Deorum
Obſiſtunt immota, neque eſt revocabilis unquam
E terris immiſſa lues, oſtendite ſi quid
Reſtat opis, vel qua morbo medicina, trucem que
Pellere ſi nequeat, poſſit lenire dolorem.
Verùm ſi nec opis quidquam, nec cura relicta eſt
Perniciem adverſus tantam, concedite id unum,
Tarda per ingenia, & qua non ſolertia corda,
Atque per ignavum ſerpant contagia vulgus.

Vix dum recitavi, cum ſtatim Eulalius; Dulciſſimè, inquit, in re tam luctuoſa noſtris auribus adblandiris, ut amara de re mulſa loqui videaris. At Lucilius: O utinam hæc tua vota boni Superi exaudirent! egregiè profectò conſultum literis eſſet, & generi humano. Non enim tam graciles, tam pallidi, tam exucci, eruditi eſſent, quorum opera, & bonę artes florent, & Reſpublicæ quammaximè juvantur: at hi, qui craſſæ Minervæ ità pingues nunc ſunt; quemadmodum boves, & equi verno gramine ſaginati. & quod quidem pejus eſt, ex tarda illa, qua latiores fiunt ſagina, hebetiores redduntur, tanto malo publico, ut nihil ſupra eſſe poſſit. Sub hæc Eulalius: Acceperam, ſi rectè memini, te electrum tenuiſſimum in rorem reſolutum per certos dies hauſiſſe contra illiuſmodi peſtem. itane? Cui ego: Ita factum eſt, quemadmodum dicis. atque ad hoc faciendum eo adductus ſum, quod egregium quendam adoleſcentem ſuccineo rore convaluiſſe inaudiveram. cujus gratia, quæ paulò antè recitavi, alia quędam adnexui, quæ quidem cantitarem, niſi vererer, ut vobis aures raderem. Tum Eulalius: Imò rogo, atque obſecro, ut lubeat recitare: cadere enim nihil gratius nobis poteſt. Tum ego: Si tantum vobis eſt tolerantiæ, ut etiam hos verſus benignis auribus excipiatis, recitabo:

quod

quod vel ex eo libenter facio; quia audire habeo, quid de illis ſentiatis. quare, quæſo, vos per noſtram amicitiam, ut ſincerè ſententiam feratis. verum moneo ne noſtra hæc eadem amicitia judicium præcurrat. nam ſi ſic, æquum certè non erit. habetis quippè illud: Si amicus eſt, nullum vitium vitio vertitur: ſi inimicus, & virtus vitio datur. carmenque recito hoc modo.

Nuper ego patria vidi Sirenis alumnum
Majorum inſignem titulis, opibuſque potentem,
Qui quanquam forma egregius, vultuque decorus,
Atque oculis formoſus: erat ſed major in illo
Dos animi: nivei mores, mens candida, & acre
Ingenium, doctuſque animos vincire merendo,
Pronus in officia, & leni blandiſſimus ore.
Hic puer egregia correptus laudis amore,
Se totum dulci Phœbo, Muſiſque ſacrarat.
Et jam Parnaſſi per culmina, perque beatos
Permeſſi fontes, & aprica flumina Cyrrha,
Veloci invectus biga, luſtraverat omnes
Muſarum ſedes, diumque exhauſerat æſtrum.
Quin etiam arguti ſuperaverat alta Lycæi
Victor, & aſtrigero curſum affectabat Olympo.
Cum juvenem improviſa (Deùm proh Numina) peſtis
Invaſit, totumque effudit pectore virus.
Continuo ver purpureum, lumenque juventæ
Diſperiit, roſeuſque color defluxit ab ore:
Et ferrugineus languet puer, aureus olim
Qui fuerat, ſordentque remiſſo lumine vultus.
Ceu roſa, nativo quæ nuper caudice ſecta,
Pallentes ſenſim demittit languida crines.
Et tandem, bacchante lue, duro puer eſſet
Extinctus Fato, miſero ni dona dediſſet
Electri Chiron calidis rorantia guttis.
Succina ter quinis vix hauſerat ille diebus,

Cum

Cum nitidus, mirum! confeſtim effulgere viſus
Oris honos, roſeaque iterum floreſcere mala,
Et ſua temperies animo, & vis reddita membris.
Langueſcunt veluti ſicco cum flumine flores
Æſtivo ſub Sole, polo ſi plenus ab alto
Decidat imber, aquis ſitientia gramina potis,
Nativum accipiunt redivivo flore colorem.

Ut carmen recitatum eſt, tùm Eulalius: Elegantiores hi præ cæteris meque mirum in modum affecerunt. neque id, quæſo, pro mea in te benevolentia dictum puta: quippè in amicum, & nominibus non pauculis obſtrictum nullo modo cadit adulatio. Et ſi, Lucilium tuum, cujus animum in ſinu geſtas, ſententiam rogaveris, eandem certè feret. Hic Lucilius: Ita enim verò. imò beatum duco juvenem illum, quem tu elegantiſſimis hiſce versibus ad immortalitatem tranſmiſiſti. Ego vero: Sed omittamus tandem res iſtas leviculas. At Eulalius: Imò certè quas numeres ſummo loco. Verum age, quando de ſalute tua ſum ſolicitus, contulitne tibi ad valetudinem recuperandam pretioſa illa medicina? Cui ego: Parum admodum. fateor planè, & apertè. quod mihi, ut te non præterit, vitio vertunt nonnulli hujuſce ætatis homines, apud quos simulatio prudẽtiæ locum obtinuit: & ſapiens ille ducitur, qui verſutior eſt, quam rota figularis. Et ille: Rem mihi quam acerbam narras. At Lucilius: Proh Deum immortalem! Uſque adeò excutiunt noſtri medici, ut contra hanc peſtem, tam noxiam, tam communem nullum omninò alexipharmacum excogitaverint? Tum ipſe: Nullum? imò ſexcenta: ſed quæ illam exaſperent, non eicurent. nam quæ illius jugulum petant, non ſpero. hic, quò ab hypocondriis fęcem illam, quæ ſenſim in hujuſmodi flatus attenuatur, per aluum exigat, medicinam per neſcio quæ catapotia perſcribit: eamque ſalutarem, leni-

nimenque unicum malo esse asseverat. quemadmodum & morbis omnibus panacen præsentissimam. Ille verò dulcis aquæ balneolum, quo nimirum adusta nimis viscera refrigerentur. alius quidã calybem tenuissimũ in pollinem elimatum, admistumque Aronis fęcula, cynnamomo, atque ambare sumendum primò manè ad certos dies, jubet. asserit enim fore, ut sic viscosa materies, mucique resolvantur; indeque obstructi viscerũ meatus relaxentur; quò futuro facilior nutrimento via sit. Ille novus, & ab arte igniaria, ac resolutoria benè instructus pulverem quendam præter se notum nemini, nec nisi plurimi distrahendum, quo in ęxstimatione plus habeatur, ad salutem unicè profuturum magnificè prædicat: nonnulli absinthii salem, & quidem vel Ponticí, vel Seriphii, ut scilicet longè comparata pretiosior sit medicina. aliique id genus plurima. quæ omnia, me judice, ad fovendam, augendamque plus, plusque in dies immedicabilem hanc pestem, quam maximè opportuna. quod verò intolerandum oppidò est, calida hic perscribit, ille autem frigida: humida hic, ille sicca. quo quid magis absonum, ne dicam perridiculum, dici potest? Ego verò diutina experientia doctus, quæ quidem tum rerum, tum artium magistra est, nullam duco salulubriorem medicinam, quam mensam admodum parcam, tenues cibos, eosdemque selectos: longam interdum peregrinationem, quod quidem Tullius scribit ad Atticum, vacuum otium, & genialia cum amicis, & his ingenuis, ac liberalibus ex intervallo repetita colloquia: demum nihil consultius esse arbitror, quam procul esse à medicis. Hic Lucilius: Doctiorem te medicum expertus sum neminem. videris artem istam callere bellissimè. Cui tum ego: Calleo equidem plusquam aprugnum callum callet: sed malo meo: ac proprio Marte, ut dicitur: quemadmodum &

re-

reliqua omnia me didiciſſe profiteor. At, quoniam iam adveſperaſcit, concedamus tandem domum, ne ſubhumidus iſtic hortuli aër nobis noceat otiosis.

Dum pergimus, intereà loci, adeſt navicularius: meque rogat, si eadem perſtaret ſententia, Amalphim in diem craſtinum adeundi. Cui ego: Admodum. mox ad Eulalium: Numnam vis nobiſcum cùm religionis, tùm animi cauſſa Amalphim concedere? nam facto ibi ad Aram D. Andreæ ſacro, veneratique ſacra Lipſana, quæ principe in templo aſſeruantur, in amœniſſimum locum veniemus, ubi in ipſa collis crepidine, quà vergit ad mare, nitidus fons ſcaturit, qui lapideam ſubter menſam ibidem inſtructam prętet fluens perquam blãdus admurmurat: opacum juxta antrum, myrtoque latè inveſtitum ad geniale prandium, animique laxamentum ſtationem percommodam dabunt. jam phaſelum conduxi, & en navicularius monet. hæc verò innubis cœli facies, pacatique mollities maris nos invitant blandiſſimè. Tum Eulalius: Quidnam non? id enim jamdiù deſideravi: nec unquam illuc copia eundi fuit: quocirca nunc mihi res cadit ex ſententia. præterquamquod nihil antiquius habui, quam veſtra ſocietate frui. At unus, dicam planè, me ſcrupulus mordet. Cui tum ego: Qui verò? Et ille: Timeo ne mutato repentè mari, quo nihil inconſtantius (eſt enim quasi Proteus, inque varias ſeſe formas momento mutat) nauſeam mihi excitent commoti fluctus. Cui tum ego: Ut video in eadem navi es, quà Lucilius. qui mare, quasi baſiliſcum perhorreſcit. Hoc loco Lucilius: Quid faceres? sic ſum, ut mihi mare faſtidium ereet. quippè haud quaquam eſt mei ſtomachi. Ego verò: Eja agite: bono vos animo eſſe jubeo. æquam viam inibimus. Accepi rectam, quę hinc ad alteram maris oram per æquiores illos colles, quos propè videtis

tis, inducit, quam incolæ Cermennam vocitant. minimè difficilem, & per quam brevem esse. quocirca vos pedestri itinere illam compendio conficientes, ad adversam oram venietis, à quà non longulè Amalphis abest. Ego intereà ad eundem locum phaselo vectus per Caprearum fretum me conferam. susceptis deinceps in lembum vobis, quod reliquum viæ est, æquo ligneo percurremus, & quidem propter oram. Tum Lucilius: Optimum consilium, & cujus haud equidem nos capiat pœnitudo. tutior quippè via terra est, quam mari: & ut perquam belle tute in Nauticis,

Semper & in dubio res est, dum currimus æquor.

Postquam ad hunc modum ire constitutum est, jubeo Navicularium omnia in crastinum adornare, nosque in sententia constare. Deinde domum recepti, post frugalem cœnam (quæ brevi acetariolo miscello, libulo ex frixis ovis, paucisque nucibus juglandibus, quæ cum recentes, uti tum erant, sapidissimæ, peracta est) cubitum paulò antè quam solebamus, concessimus: nempè antequam albicasceret sine tædio, ac somnolentias Lucilius expergisceretur. qui paulò plus solito indulgere somno tum propter ætatem, tum propter aëris clementiam, cogebatur.

Dùm post mediæ noctis inclinationem gallicinium appeteret, è lecto corpus statim corripio. accensaque igniario luce, famulum accerso. quem ad domestica ministeria hac cõditione Proprætor concesserat, ut orationem, quæ in studiorum anniversariis quotannis recitari solet, illo anno haberem. usque adeò nihil nobis sine pretio venit. Ut præsto fuit (erat quippè impiger, atque ambidester, multiplicique ab arte instructus) huc, inquam, nautas evocato, ut viaticum in naviculam deportent. curatoque ut istum etiam vidulum in tuto locent. illum ego scrula obseravi, vide, ne quis adulteri-

rina clave recludat. Et ille: Factum, curatumque dabo. nec quidquam te anxium habeat, meos enim oculos in illorum oculis habebo. Sub hæc assumpto baculo, in hortum cycladatus descendo. Ut tandem ad litus veni, in lembum insilui: factoque ibi ex velo veluti phormione extemporario, somno, quem vix ea nocte oculi viderant, acquiescere adnisus sum. Jam ultra Massam ad delubrum, non longè ab Athenæo perventum erat, cum famulus, ità me interpellat: Heus, here, quodnam illud ostentum est, quod circa Lunam aspicio? exporrectus halonem video. quo viso, animo statim concidi: atque incassum, inquam, laboramus. hic profectò pluviam portendit, & ventum item ex Oriente hiberno: illàc nempè circulus scindere sese incipit. Vix hæc, dum in proram & vehemens, & subitus descendit Euronotus. Et quantumvis obniti vento nautæ conarentur, omnem tamen ludebant operam. Flectere igitur illos cursum jubeo, inque vicinum quendam sinum divertere, atque inibi parumper subsistere. sperabam enim fore, ut sub auroram caderet ventus, ut facit sæpenumero. cum per horam in anchoris substitissem, experiri nautas jubeo. verum nulla vi, nulla opera Athenæum superare potuerunt. Quinimò obtegi jàm cœlum, altiusque undas assurgere incipiebant. capto igitur, ut ajunt, in arena consilio, Surrentum remeo. Vix dum redii, cum in viam se jam dedisse Lucilium, & Eulalium intelligo. quare rustico advocato, jubeo quantocyus se in Cermennam capessere, atque amicos de adversa navigatione commonefacere; monere item meo nomine, ut domum reverterentur. Verum hìc oppidò rusticus, ac pistrino dignissimus in ipso viæ exordio ingenti sub ficu consedit: ventremque asinastris atris ad satietatem usque conferciit, ac saginavit.

Po-

Postea verò quam inter spem, & metum, ne illis quid incommodi accidisset, ad meridiem usque expectavi, & compluries de fenestra circumspexi, & modò unum, modò alterum nomine compellavi, tandem expectando exesus, atque exenteratus, deque proximò regressu desperans, invitus, ac tristis ad mensam consedi. jam enim præ inedia cœperat mi bilis excandescere. Vix alteram in os bucceam ingesseram, cùm tandem aliquando, ecce tibi pro foribus Lucilius, & Eulalius. qui non modò defatigati præ itinere, languidi præ fame, sed perterriti, ac semimortui, utqui ex magno periculo omni ope, atque opera, & ut dicitur, manibus, pedibusque evasissent, mihi visi sunt. quare etsi lætus, quod sospites tandem, ac salvi rediissent, verumtamen illorum timore perterritus, enarrare jubeo quidquid illis acciderat. Tum Lucilius: Mane, sine respirem, queso. Ego verò: Imò quiesce. mox, ut sedit, recepitque animam, ità ex abrupto; Gratia vobis, Superi, plurima, quo vivus huc redierim: dispeream, si tanti beneficii immemor arguar in posterum. Proh! quantum, mi Parthenie, periculum evasimus. in tam lacrymabili, ac manifesto vitæ discrimine constitutum, ut hodie, me vidi nunquam, nec deinceps futurum spero. Tum ego stupore attonitus, metuque perterritus: Quid tandem, mi Lucili? inquam. offendistisne in piratas, aut grassatores? an forte noxias in bestias? Tum ille: Minimè verò, sed in præcipitium. ex quo certè miraculo evasimus. Cui ego: Quodnam præcipitium narras in via tam trita, tam facili? Et ille. Avibus certè; non verò hominibus. ausculta modò: rem omnem, quo potero compedio, altè ordiar, atque à capite.

Postquam per montis acclivia, iniquo, implexoque calle, & quà saxis, quà vepribus obsito (in quæ, me miserum! sæpè sæpiùs offendimus) labore plurimo tan-

dem ſuperato, ſupremum in verticem, cui Cermennæ nomen, evasimus, lętati tantiſper ſumus, quod confecta utcumque via aſpera, atque impedita, æquiorem planitiem teneremus. ex qua deſcenſum in alteram maris oram haud difficilem putabamus. igitur poſt ubi ad vicinas arbores brevi divertimus, vires aliquantulum reſtauraturi, eunte præ puero, qui nobis vię dux erat, læti, atque alacres, quod reliquum erat itineris, ſtatim corripimus. At vix viæ pluſculum progreſſi, cum ecce tibi ex horrenda, & prærupta rupe altiſſimum, & perquam maximè horrificum viſu præcipitium. tum ego: Ah, ah, puer, quà tu nos ducis? hac ne capreis quidem eundi copia. Ille verò non benè memor, & vix ſibi conſtans; Neſcio, inquit, an hac ſit alia via expeditior. mox ut oculos circumtulit. Hæc, hæc profectò eſt, inquit. jam mihi in mentem venit. quinimò hæc veſtigia ſunt hominum: pergite porrò mea fide. Cui tum ego: Adeone ego fungus, qui tuæ fidei me credam? Numnam inſanis? an fortè adhuc obdormiſcis? in hoc duro, nudoque lapide ne pecudum quidem veſtigia. hunc verò, quem præmonſtras, anguſtum, tortuoſumque callem, perque rupis latera recurrentem, defluens è vertice pluvialis torrens inſtravit sibi, atque aperuit. qui non adeò præruptus, atque avius ſub initium videbatur. igitur poſt ubi tantiſper dubii animis ſubſtitimus, ſubjecto è litore vocem audire visi ſumus cujuſdam nos compellantis, & ut deſcenderemus adhortatis. quare arbitrati te jam adveniſſe; atque ad hoc inducebamur, ut libenter crederemus, quod cymbam in litore videre videbamur (erat autem infamis ſcopulus, qui è longinquo cymbæ ſpeciem præ ſe ferebat) iter aggredi tum denique conſtituimus. vocem illam à malo genio emiſſam certò exiſtimo, ut nimirum in præceps nos traheret. Tum ego.

Quæ

Quæ mihi, Lucili, narras? Et ille: Atque audi; jocum dices, præ quam quæ senties. vix anguſtam illam, declivemque viam, viam autem? imò præcipitium ingreſſi ſumus, cum ecce in nudum, anguſtumque tramitem, qui vix pedem capiebat, incurrimus. dextra patebat omninò, illique horrenda vallis ſubjecta, ſiniſtra nuda præcinctus erat rupe, cui ne unus quidem frutex adnatus, quem prenſare poſſemus, & sic tutius procedere. fateor hic me exanimatum horrore periculi. Cui ego: Credo equidem. Ille verò: Vel ipſe proſpectus quammaximè periculoſus: quando nec à mari oculos avertere, nec retrocedere poteramus. Quodque pejus erat, jam vertigine laborare caput, jam caligare oculi incipiebant: totuſque tum præ timore, tum labore ſudabam. In ſummam, ne tam lugubri memoria, dolorem ſcindam adhuc, totum illud iter, quod tam infauſtis avibus ſuſceperamus, hujuſmodi erat, ut magis expedire duxerimus, si humi more pecudum proni, manibus, pedibuſque incederemus. Verum ah! quoties prenſare ſpinas, ſtringere vepres, inque acutas ſaxorum acies offendere coacti ſumus. quoties Divorum, & Virginis in primis pietatem per iterata identidem vota obſecrati ſumus. Hic ego: Exanimaſti me tanti enatratione periculi. infames illos inter lapides, ac vepres vitam certè reliquiſſem? Tum Lucilius: Ita prorſus. bonam Dij mentem tibi dederunt, ut committeres tete mari. proh! quanta te cœpiſſet pœnitudo. verum attende, quæſo, nondum enim finis eſt tragediæ. Cui ego: Perge porrò: expecto fabulæ cataſtrophen. Et ille: Ubi tandem periculum perrupimus, inque oram defatigati, ac perterriti deſcēdimus, neque te, neque lembum reperimus in litore, quanto mœrore, ac ſolicitudine verbis aſſequi vix queo: ex te conjicito. Cui ego: Planè intelligo. Quid tùm poſtea? Et ille: Ardentiſſi-

mus Sol erat, nec quò divertere ad umbram habebamus. nam quæ una, & illa quidem semiruta in litore erat taberna, derelicta, atque obserata omninò. per totas duas horas illic expectavimus. cum tandem caupo advenit, apertaque taberna nos in tempore introduxit. jam enim nigerrimus Africi nimbus pluviam attulerat. Quia verò inedia ex tam longa defatigatione laborabamus, cauponem rogo, numquid haberet, ut diem frangeremus? Ille verò: Habeo, inquit, nonnihil pollucti, quo prandere possitis quam lautissimè. Cui tum ego: Videlicet? Et ille: Sardas salitas, quarum solo odore reficiamini. Ego verò: Estne amplius? Et ille: olivæ Africanæ. Tum ego; Quid præterea? Ille verò: Nuces aliquot cum castaneis. Cui tum ego: Illas pueris asservato. cedo tandem, quod polluctum dicebas. Hoc loco ille vultu in admirationem cõposito: Adeòne, inquit, insanè esuritis? timeo ne uti lupi famelici in me impetum faciatis. Hic ego, atque Eulalius, quamquam tristes memoria præteritorum, deque futuro etiam soliciti, nihilominus vix quivimus tenere risum. Mox Eulalius: Habes, inquit, vinum in taberna? Cui caupo: Hui, vir bone! vinum in taberna? habeo, & quidem optimæ notæ. statimque totum deportavit doliolum. cui, educto epistomio, os Eulalius admovit: ut verò summis labris degustavit, Vappa, inquit, ad me, imò merum acetum, ad cauponem vero: Phy! hujusmodi vinum apud vos optimæ notæ? accipe, tibi totum habeas. Ego verò afferre sardas jubeo: ubi verò allatas vidi. aufer, inquam, cibus iste non est mei stomachi. erant enim adeò fœtidæ, ut ne illi quidem devorassent, qui ex igne cibum sibi quærere consueverunt. conversusque ad Eulalium, ò ubi dentex ille tam exquisito panificio incrustatus, tantaque salsamentorum conditus varietate! ò ubi collinum, & Græcum album!

bum! ſapuit oppidò Parthenius, qui illa apud ſe eſſe juſſit. faxint Superi, ut nobis bolum relinquat? Cui tum ego: Hui! nonne vobis pulchrè notus? an fortè me brevi helluonem, aut parasitum factum putatis? en totus hic dentex, atque integer. Tum Lucilius: Si ita eſt, quid plura? simulque admota ſedecula accubuit: quem illicò ſecutus Eulalius. Dum comederemus. Quid deinceps factum eſt? inquam ego. Et ille: Tandem cum adventuum tuum deſperavimus, Senatu inter nos habito, de reditu cogitavimus; ſed quam iniquo animo, tu confice. hic verò qualis fuerit non multi eſt cognoſcere. id etiam incommodi acceſſit, quod ex pluvia adeò lubricum ſolum factum eſt, ut retro non ſine ingenti timore, & periculo, fallente ad ſingulos quoſque paſſus veſtigio, ſæpenumero relapsi ſumus. auertant Superi, ut similem viam alias ingrediar.

Ego ut tam infauſti, moleſtique itineris mœrorem omnem, memoriamque delerem læto, elegantique cõvivio (ſum enim pro tenuitate liberalis) coquum accerſo: quæque optima, & præ reliquis delecta ſcitè eſſent adornanda, & quam concinnè, ac veluti musicè inſtruenda eſſet menſa, edico. volebam enim convivarum oculos delectare munditiis. deinde, quoniam defaticati nimium eramus, ad quietem captandam concedimus.

CAPUT VII.

Ad vitam beatè traducendam leges præscriptæ: deinde de Campania Felice illatus sermo: carmenque de illius laudibus recitatum. mox quæsitum inter epulas, an in saporibus musica inesset elegantia, & si cœlesti illi Pythagoræ assimilaretur: utrumque ratione confectum est.

POstero die, postquam ea, quæ pietatis erant in Superos, religiosè absolvimus, in pomarium motandi corporis causſa descendimus. ubi verò totum crebra cursatione lustravimus, in torosa demum vite consedimus. ibique longam de his, quæ ad vitam beatè, tranquillèque ducendam conducerent, disputationem habuimus. Et cum hinc inde, ut fit, multa Lucilius, atque Eulalius disputassent, me tandem ambo sententiam interrogant. Tum ego: Quoniam mihi hanc provinciam demandatis, quid de hac re sentiam paucis planè aperiam. Ajo igitur illum fore beatum, vitamque feliciter, ac tranquillè traducturum, qui hanc vivendi rationem, quam mox recitabo, & quam ex diviniſſimo Epicteti Enchiridio decerpsi, accuratè inibit. Hic illi: Istuc expectamus animis lubentiſſimis. Ego verò. Atque audite: Omnibus in rebus mediocritatem potius elige, quam abundantiam. hæc enim invidiam parit, neutiquam verò illa. perpetuum tibi studium sit, ne quid commodi ex aliorum incommodis aucuperis: imò solerter caveto, ne obliquo oculo alterius commodum limes, siquidem nihil tam animum lacerat, quam invidentia. Απραξίαν, vacationem à negotiis Latinè verterem, quantum licet amplectere: nam uti est in proverbis, ἀνάπαυσις ἐστι τῶν κακῶν

απρα-

ἀπραξία. Nullis te negotiis immiſceas. & maximè jis, quæ ſine aliorum injuria ſuſcipi, tractarique minimè poſſunt. quare si juvandus amicus, ità illi benefacito, ut hac de re nullius tibi odium conflες. si quid fortè aliundè simultaris obortum fuerit, quod in toto vitæ curriculo ne cordatus quidem vitare quibit, aut purgatione lenies, aut officiis extingues, aut diſſimulatione intermori patiaris. A contentione ſemper abſtineto: in quam si fortè fortuna incideris, rei potius, quam amicitiæ jacturam velis. nihil quippè eſt in humanis, quod amicitiæ præſtare poſſit; quocirca nec quidquam tibi charius, nec ſanctius eſto: curatoque ut amicorum rationem ſemper habeas. Da inſuper ſtrenuè operam, ut nihil flagitii committas, quod tibi probro futurum sit, quodque animum laceret. nihil enim irrequietius eſt animo sibi malè conſcio, ut contra nihil quietum magis, magiſque beatum, quam conſcientia rectè factorum. Tandem sic animum inducas, ut nihil vehementer vel oderis, vel expetas: ita enim fiet, ut si quid boni obtingat, non efferaris, atque inſoleſcas: si quid decedat, non admodum crucieris, nulla re ringi permittas: maximè quæ nihilo melius sit habitura. ſed utcumque res eſt, ita animum habeto. nulluſque sit tantus animi dolor, quem tecum ire cubitum patiaris. idcircò æquum ſemper animum gerito: æquus enim animus optimum eſt ærumnæ condimentum. Atque hanc puto normam quietè, beatèque vivendi. Tum Eulalius: Næ ille Talete ſapientior, atque Ulyſſe prudentior, qui vitam inſtituere, ac moderari poterit iſto modo. Cui ego: Ita enimverò; ſed sit neceſſe eſt. At Lucilius: Verum ad vitam beatè transigendam multum conferre arbitror loci in quo degas: delectum: nimirum ut sit in cœlo ſalubri, amœno ſolo, & quantum fieri poteſt, à turbis, undiſque populo-

rum quam remotiſſimus. qualis hic profectò eſt, tibi meritò oculiſſimus. nonne mecum cenſes? Cui tum ego: Cenſeo, ajoque. Et ſanè blandiſſimus hic cœli nitor, vernantis hic agri riſus, læta hæc pacati facies maris, hic ſecretus ſylvarum receſſus, hic proſpectus amœniſſimus Crateris universi, nonne ad quietem animum invitant? nonne omnem ſensibus beatitatem inſtillant? Atque hinc, ut fit, ex uno in aliud ſermonem tranſduximus. plurimaque de Felicis Campaniæ, & Crateris tum amœnitate, tum pulchritudine diſſeruimus. Meritò, inquit Eulalius, hanc ſummis laudibus & Romani, & Græci celebrarunt. imò hi Græciæ ſuæ, ac cæteris Orbis partibus prætulere: genus cæterequin in laudem ſui, ut ait Plinius, effuſiſſimum. Hic ego: Recitarem, Eulalie, quædam carmina, quæ ad Virgilianam amuſſim, de Cratere, noſtraque Campania contexui, niſi adhuc impolita, ut primulùm excideruntur, aſſeruarentur in arcula. ſcio enim vos aduncis plus juſto naribus eſſe. Tum Eulalius: Imò vel sic placebunt. quinimò tibi ingenium sic eſt, ut interdum, abſolutam omnibus numeris ſobolem edat. recita, quæſo. id ipſum Lucilius expetit. dabimus ambo tibi operam perpurgatis auribus. Tum ego: Quoniam de illis cupio veſtram audire ſententiam, morem vobis geram. mox libellum ab arca truſatili educo, deque ſcripto ad hunc modum lectito.

Sed neque Erythræi fluctus, ditiſſima gemmis
Æquora, non Chryſe, aut felices Perſidos undæ
Laudibus Euboici certent Crateris: & Acta
Non ſe Campanæ æquiparent Mavortia Rheſi
Litora, nec Siculis Tellus regnata Tyrannis,
Non molles Arabum tractus, nec in Orbe repoſto
Tota coloratis Peruvia dives arenis.
Hæc vada non Phocæ ſpirantes naribus imbrem

Sul-

Sulcavere, aut formidandæ piſcibus Orcæ,
Nec Balænarum rigidis mare dentibus horret.
Sed roſei Mulli, & Murænæ lacteus humor
Percurrere; ſecant Soleæque, rubrique Erythini.
Hic niveus ſeſe vitreis è fluctibus effert
Delphinus, pueroſque inter feſtivus oberrat?
Hic nitidi ſemper Soles, & aprica ſerena,
Et petræ Conchis, & Piſcibus utilis unda.
At Colubri triſtes abſunt, & dira Luporum
Semina, nec miſeros diſcerpit Scylla natantes.
Non tantum radiis Torpedo nocet, neque tantum
Scorpius irato diffundit ab ore venenum.
Adde maris proſpectũ omnem, & Telluris amœnũ,
Et montes ſacros, & utroque ab litore colles,
Nunquam non gratos umbris, & mollibus herbis:
Depictaſque inter currentia flumina ripas:
Totque aliis impoſta jugis caſtella, domoſque,
Atque theatrali fabricata palatia circo
Pauſilypi propter litus, clivoſque ſequentes,
Regum opus, atque opere egregio, luxuque ſuperbo.
Adde Vrbem latam populis, opibuſque potentem,
Et claro auguſtam ſceptro, ingenuiſque vigentem
Artibus, & ſtudio florentem nobilis oti,
Cui Regina ſuo fecit de nomine nomen
Parthenope, miteſque dedit blandiſſima ritus.
An virides memorem ſcopulos, piſcoſaque ſaxa,
Et tot muſcoſis exciſa in rupibus antra?
Anne ſinus tantos? te Polli, teque beato
Cum portu, Miſene, tuo, & te, molle Dicarchum?
An quæ felicem memorem Cratera coronant?
Hinc ditem Baccho Inarimen, monteſque Typhoei,
Et Prochyten pomis vernantem, & pinguibus uvis;
Piſcoſas illinc Capreas, Fanumque Minervæ,
Et Vici colles, & pampineum Surrentum?

Hæc

Hæc eadem Muſas, & doctas extudit artes,
Campanoque ſonum dedit æe, & pyxida Nautis
Protulit, & tenui telas intexuit auro.
Hæc vates lauro inſignes, rubroque galero
Romuleos Patres, claroſque Heroas in armis,
Et tot Pontifices tulit, & te maxime Patrum,
ANTONI, Solio qui mox ſublimis ab alto
(Regnatorem Orbis nam te, Colliſque Quirini
Concordi plauſu Divique, hominesque repoſcunt)
Omnia ſub pedibus volui, vertique videbis.
Salve magna Parens rerum Campania Tellus,
Læta mari, fœcunda ſolo, mitiſſima Cœlo,
Alma viris, medio quam Dii poſuere benigni:
Gemma velut, circo media eſt, quæ lucida fulvo.
Egregias tibi nunc laudes percurrere, & artes
Incipio, Actiacos auſus tractare cothurnos.
Coryciumque cano Tyrrhena per æquora carmen.

Ut finem impoſui, divinavi, inquit Eulalius, hujuſmodi carmen eſt, ut limam fruſtra expectet, quippè cui nihil eſt, quod addas, vel demas: ut eſt, noſtra fide, in lucem edito: placebunt etiam hominibus naris emunctæ, & faſtidii delicatiſſimi. Lucilius verò: In tuam, Eulalie, ſententiam deſcendo. ſapiunt quippè, ut ait Perſeus, demorſos ungues. Cui tum ego: Minimè verò; ſua enim ſponte exciderunt. Et ille: Si ità, calebas tu certè quidem. Verum eamus domum, neque amplius moram dictis injiciamus: nunc ipſum coquus clamavit corrumpi prandium, & mihi inanitate murmurant viſcera. Cui ego: Per me licet. nihil igitur cunctati, nos domũ recepimus. Hic lotis de more manibus, Deumque precati, ut menſam in bonum verteret, conſedimus. Deinde initium factum eſt ab ovo recenti elixo, ac ſorbili (nondum enim æſtas groſſulos concoxerat) ſuaviſſimum mox juſculum ſorbillando exhauſimus.

Jam

Jam ſecundæ lances inferebantur, cum villici puer propè à nobis aſtitit. qui etsi ruſticus, ſcitiſſimè tamen lyram pulſabat: & modo varios avium cantus, modo paſtoritiæ ſonum fiſtulę artificioſiſſimè conabatur, ac mirifica nos oblectatione afficiebat Hic Eulalius: Bellè, atque opportunè factum, Parthenie; utne musicus quidem ſonus in hoc convivio desideraretur: quod nobis tam lautum, tam opiparum, tam varium inſtruxiſti. haud equidem vel elegantius, vel magnificentius adornaſſes, si tibi diem dixiſſem Sybariticum. Cui tum ego: Joculare illud, Eulalie: nam me ne opinantem quidem adortus es. & hic loci nihil eſt, quod ſtatim comparare poſſis; quare, ut lepidum, ita verum illud amœniſſimi poëtæ de Surrento Epigramma: *

Delicias Phœbi, Muſarumque otia ſentis,
Dum Surrentina Gargara in urbe tenes:
Nempè (modo veniat quod edas aliunde) receſſus
Non habet huic Helicon, mollis & Aſera pares.
Verum ſi colles tantum apponantur aprici,
Sit tibi Surrentum delitioſa fames.
Aëre Chamæleon nutritur, rore cicada
Hæc eadem Surrentum dat tibi, pane caret.

At Lucilius, penes quem domeſticę rei curam depoſueram, (& ſanè adeò gnavum, ac ſolertem expertus ſum, ut si de præfectura ageretur, meo illum ſuffragio libentiſſimè ornarem) ita eſt, ut ait Eulalius. Quin & illud mihi pulchrum videtur, & admirabile, quod musicè, ut ſoles omnia, convivium adornaſti. adeò eleganter, cultros, lances, fercula, & quòd majus ſanè eſt ſapores ipſos concinnaſti. neque ipſa defuit musica perquam jucunda. Quare eam tibi laudem dandam eſſe arbitror, quam sibi Paulus Æmilius adſcivit, cum Perſe acie victo, ſubactaque Macedonia, regni principibus con-

* Chryſogonus Mantuanus.

convivium exhibuit lautum æquè, ac mirandum. Quippè tam artificiosè, ingeniosèque instructum, apparatumque erat, ut sacra Libero, Cererique mensa Martis campus videretur. ibi enim contra convivas, quasi milites instructa legione, ordinataque acie lances, & fercula prodibant dimicatura. primæ, ceu primipili convivas lances aggrediebantur, primosque insultus intentabant. illis verò jam vacuis, ac cedentibus retrò, secundæ in suppetias properabant. plurimæ in primam fronte stationem habebant, aliæ ad cornua sinuatæ: hę quasi velites, inito vix cerramine, sese subducebãt. illæ clanculum insidias tendere; hæ nudato pectore prodire in aciem, signa conferre, manus serere, bellumque committere videbantur. quæ cum convivæ principes summo animi sensu, summaque admiratione spectarent, Paulique nomen summis laudibus celebrarent; ille, ut refert Pausanias, Ejusdem viri esse ait, & armatam aciem quammaximè terribilem, & convivium quam jucundissimum instruere.

Hic ego, cum gratias egissem Lucilio, quod perhonorificè de me sentirer, ut prandium erudito sermone conditem, qui Philosophorum mos est (nullus erat enim tum anagnostes, qui illud peregrina lectione suaviorem redderet) arrepta ex musica occasione, hanc in medium quæstionem intuli: Essetne inter sapores mutua quædam convenientia, quam harmoniam eruditi, proportionem Geometræ appellant. & primùm Eulalium rogo, quam ferret de controversia sententiam? Et ille: Lucilio, inquit, trado hanc lampadam, quem Geometriæ dedisse gnaviter operam, te præceptore, jam comperi. At Lucilius: Hanc quæstionem ad te, Parthenie, censeo referendam. quippè hunc nodum præter te felicius solvet nemo. quare age, quæso, edisfere: id ipsum maximo te orat opere Eulalius. audie-

mus

mus ambo ſumma animi voluptate. & ſanè res eſt voluptuoſa. Tum ego: Faciam libenter, ut intelligatis quantum apud me gratia valeatis: Et illi. Lucent ſanè tua in nos officia. Tum ego: Quia verò palatum habetis perquam eruditum,& faſtidii delicatiſſimi,mihi veniam detis etiam,atque etiam rogo, si non quanta deberem elegantia duriuſcula cæteroqui verba, exornabo. Tum Eulalius: Iſtud maximè expecto: erit ille cibus noſtro ſtomacho aptiſſimus. jam igitur viam ingredi, qua illud efficias: vacuas tibi aures accomodabimus. Tum ego: remota nimia diſputandi ſubtilitate, musicam inter ſapores eſſe convenientiam hac ratione efficere aggreſſus ſum.

Summa, quæ à ſaporibus ſuavitas eſt, illi conſonantiæ reſpondet, quam Græci διαπασῶν, Octavam noſtri dicunt. quæ ut abſolutiſſima numeris eſt, ita auribus jucundiſſima.id verò ex ſe perſpicuum omninò. Etenim conſensio quædam ſaporum eſt, & conniventia ad ſuavitatem. cujus Dulcis præ ſe ſapor ſpeciem gerit: quippè quo nihil eſt admodum, quod, vel ſuavius, vel gratius palatum afficiat. jam verò, qui ſequitur, Pinguis ſapor,quem carnes ſapiunt, atque ova ſcitè præparata, cum διαπέντε (Quintam Latinè vertunt) componi non abs re poteſt. siquidem poſt dulcem primas obtinet, inque ſuo genere abſolutus. Διατεσσάρων (Quarta nobis eſt) Salſo congruit omninò. Ut enim hujuſcemodi conſonantia ſuaptè natura inſuavis eſt, ita Salſus ſapor ex ſe haud multum acceptus palato. quemadmodum verò iſtæc conſonantia, si Quintæ copuletur, inque unum conniveat,Octavam efficit,auribus perquam gratiſſimam:ita Salſus ſapor, si Pingui admiſceatur, jucundam palato ſuavitatem affert. At verò (quo res magis in manifeſto ſit) quemadmodum Octava,si aſſocietur Quintæ, di-

ſcor-

ſcordat quippè, & futilis omninò.ita pariter Salſus,immixtus Dulci, tam male afficitur,ut melius Amaro ſeſe accomodet: non ſecus ac in olivis benè ſalsis uſuvenit. His autem ità conſtitutis, meo arbitratu , apertiſſimè, contendam id efficere , quod inſtitui . Tum Eulalius ; Perge porrò : hactenus oſtenſa dilucida quippè . Tum ſtatim ego : Præter principes illas conſonantias, de quibus ſermo jam factus,aliæ quædam ſunt,quas à verbo τείνειν , (intendere Latinè ſonat) tum Græci, tum Latini Tonos vocant . Ex his autem, quem Semiditonum Musici appellant cum Insipido ſapore, quem verò Ditonum,cum Aſtringente ad unguem congruere hac ratione in promptu ponam . Tam Semiditonus , quam Ditonus ex ſe non prorſus inſonori , & si Octavæ accomodentur, auribus aſſonant quam gratiſſimè . nonne eodem modo Insipidus, & Aſtringens,& ſuaptè natura non illepidi , & si permiſceantur dulci perquam ſapidi? quippè.verum, addam amplius:quemadmodum tam Semiditonus,quam Ditonus ſoli si sint, aures vix afficiũt,eodem modo, hi ſapores si puri putique præguſtentur , ſenſus vix movent . Ptæterea ut illi cum Quinta non conſonant; imò etiam diſcrepant, ità hujuſmodi ſapores cum Pingui ad ſuavitatem non conſpirant; imò illum faciunt deteriorem. At si Quartæ illi ipsi adjungantur ex arte, ſonant belliſſimè : ita pariter Aſtringens, atque Insipidus,si ſcitè Salſo condiantur , ſapiunt venuſtiſſimè . Hoc loco sic Lucilius interpellat; utpotè qui hanc sibi provinciam depopoſcerat: Da quæſo,inquit,veniam si ſermonem abrumpo. mira ſanè prædicas, & quæ mihi cadunt ex animi ſententia. haud equidem putabam tantam inter ſapores rationem intercedere. effeiam profectò,ut illa coquum non lateat.cœnabo sic majori voluptate. Cui tum ego:Gaudeo quammaximè , quod ex mea ratiocinatione id ad

te

te voluptatis affluat. quæ quo plenior tibi sit, & sine radio, ad reliquos sapores contendam. Et ille: Insiste, ut cœpisti: mihi rem perquam gratam facies. At Eulalius: Si quid apud te authoritate valeo, iterum, atque iterum rogo, ut pergas quo iter instituisti; nam non auribus modo, sed etiam palato, ut rectè Lucilius, jucundissima oratio est. Tum ego: Gratias ago, quod humaniter sermonem excipiatis, & haud gravatè, qui cæteroqui dutiusculus, etsi de mollissima re, & quammaximè suavi institutus sit. Sunt inter Musicos tonos hi insuper duo: Sexta Major unus, alter vero Minor appellatur. horum autem vicem in harmonica saporum confectione Acer, atque Acidus getunt; utpotequi cum Insipido, atque Astringente ad voluptatem conspirent: nam sicuti Sexta major cum Semiditono, minor verò cum Ditono suavem auribus sonum reddunt, ità etiam Acer cum Insipido, cumque Astringente Acidus perjucundum palato saporem propinant. Quin etiam, ut utraque Sexta cum illiusmodi tonis Octavam efficiunt, minus tamen suavem: deest quippè Quinta ad absolutam suavitatem: eodem protsus modo Acer, atque Acidus cum Insipido, & Astringente, etsi perfectam admixtionem saporum faciunt, non tamen perfectissimam. quę certè haberetur, ni Pinguis abesset, cujus est Quintæ præ se vicem gerere in saporum cõsonantia. quam voluptariam non abs re musicam dicerem. Austerus (hoc amplius, cadit quippè in rem) cum Acri moderato perquam bellè sapit: atque idcircò uterque Insipido admiscetur: atque hinc illud Martialis,

Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quam sæpe petit vina, piperque coquus.

acre quippè piper est, vinum verò austerum. nec immeritò Tullius in familiaribus quæritur se victum à mal-

maluis, inque lienteriam incidiſſe. Hoc loco Lucilius: Rectè ego, qui à malvis me contineo. Cui tum Eulalius: Nimirum palatus tibi ſapit. At ego: Miror oppidò, quod hic cibus nonnullis ſuaviſſimè ſapiat. uſq; adeò verum illud: Nulla fatuitas sine patrono, nulla fœditas sine amatore. verum, ne feramur extra oleas, attendite, quæſo, & quam benè sibi mutuò ſapores reſpondeant, accipite. Utraque Sexta, Major ſcilicet, & Minor, ut ex Musicis regulis planũ eſt, cum Octava, & Quinta rectè copulantur; atque illas ſonoras magis, magiſque blandas auditui faciunt. nonne eodem modo Acer ſapor, atque Auſterus cum dulci, & pingui ſcitiſſimè admiſcentur? Tum Eulalius: Ità verò. At ego: Eſt etiam quod hujuſmodi conſonantiam manifeſtius confirmat: Nempè utraque Sexta, ſi Quartæ ſeſe adjungat, diſſona obſtrepit, obtunditque aures: ità prorſus illiuſmodi ſapores, si Salſo accedant, inſuavis oppidò, qui mixtione progignitur.

Sed jam ex voculationibus Musicis ea ſubſequitur, quæ ſuaptè natura diſſona ſemper eſt, & tam auribus ingrata, quam quæ ingratiſſima. iſtæc verò Tonus eſt. Hic Lucilius: Vera prædicas: nihil enim eſt, quod tam faſtidioſè audiam, quam eadem voculatione repetitam ſæpius cantilenam. Cui tum ego: Numnam idcircò ſæpiuſculè interpellas, ne eodem ſemper tono sim faſtidioſus tibi, quippè delicatiſſimo? ut & confragoſa iſtæc mea oratio, facta dicẽdi intercapedine, diſpliceat minus? Divinavi? Et ille: Nihil minus. imò fateor id tibi contigiſſe, quod haud ſcio an nemini, ut cum appetentia te audiam: cum alioqui aures habeam faſtidioſiſſimas quæſo igitur, ut pergas ire porrò. & quis ille, qui vice Toni inter ſapores sit, exprimas. nam, si rectè conjecto, hic Amarus ſanè eſt. Cui tum ego: Rem ipſam putaſti. odioſus enim ille, infeſtuſque palato. Atque

que in hoc etiam consentiunt; quod sicuti Tonus origo est omnis consonantiæ, ita Amarus saporum omnium. etenim fructus omnes, cujusquemodi sint generis, primulùm amari sunt, mox cum matureſcunt, varios sapores, pro sua quisque indole, sapiunt. quemadmodum verò Tonus Quartæ copulatus Quintam, & quidem blandè sonantem gignit, sic Amarus Salso admixtus saporem creat sapidissimum. atque hinc est, ut compluſculi olivas benè salsas Ficedulis præferant, & Phasianis. Risit hic Lucilius, quì hujuscemodi Quinta magnopere delectatur. nec ego à risu temperavi: solitus quippè hoc illi jocandi gratia objicere. Miratus primò Eulalius: mox, ut erat vir ingenii promptissimi, quid sibi risus veller, interpetratus: Optime, inquit, tu quidem, Lucili, qui salsas olivas in deliciis habes. mihi, ut fatear apertè, etiam bellè, ac lepidè sapiunt. Quibus ego: Istam vobis voluptatem remitto; deque olivis facio gratiã: mihi enim hę aves minimè fastidiosæ. Heus puer, infunde frigidum illud collinum Stabiense purpureum, quod benè fert ætatem: nam, licet abstemius, juvat tamen amicorum gratia exhilarare convivium. ut verò infudit, ego: Eulalie, hoc te poculo invito. Ille nihil cunctatus, infunde, inquit, helvolum illud Vesuvianum; mox mihi humanissimè propinavit, præhibens Lucilio. qui propinationem minimè recusavit: implerique calicem jussit Nolano hyberno albo, quò, quippè delicatissimo, & stomacho minimè noxio mirificè gaudebat, Musisque nostris ex animo propinavit. Deinceps, ubi sermonem hilarioribus poculis aliquantulum variavimus, illicò ad seria nos recepimus, ne prandium, quod ferculis nequaquam lasciviebat, immodicis poculis præter morem obrueretur Græco more. Orationem igitur continuavi hoc modo: Si coëat cum Quinta Tonus, confit Sexta major, quę

licet autem non ea ſuavitate demulceat, qua ipſa Quinta, non tamen, ingratè ominò; habet enim neſcio quid lenocinii: ita prorſus Amarus non abhorret à Pingui: illum tamen aliquantulum deteriorem reddit: facit nihilominus ſe ipſum non illepidum. sic in pulte uſuvenit, quæ abſynthio, oviſque, & caſeo præparatur. item in vitibus cum quibus abſynthii coma leviter concocta. Tandem, ut dictis compendium faciam, ne veſtras aures oppleam vaniloquētia, Si Tonus Semiditono copuletur, Quarta exoritur, quæ quidem diſſonat: verum si Ditono, ſtatim Tritonus exſurgit, qui omnium quotquot ſunt aſperrimus, auribuſq; faſtidioſiſſimus. idem omninò accidit in re noſtra: etenim, si Amarum Insipido, vel Aſtringentem illi gradu proximum admiſceas Pingui, mixtio quædam fit ingratiſſima: qualis eſt in acerbis glandibus, quibus nihil odioſum magis hominum palato eſt. Ex his autem omnibus nonne liquidò demonſtratum eſt inter ſapores Musicam quandam ineſſe convenientiam? Tum Eulalius: Ità enimverò. imò confirmatum exemplo in hoc eleganti convivio. & teſtis lingua eſt, qua nihil in hoc genere eruditius. Lucilius verò: Ne quæſo in deteriorem partem rapias, si te crebrò interpellem: imò hinc intelligas, tuum mihi ſermonem recipi in cibum: quippè, absit verbo adulatio, mulſa mea. vellem igitur, ut quemadmodum literalium artium harmoniam cum cœleſti illa Pythagoræ contuliſti, ita & hanc ſaporum quam ſuaviſſimam. Credo equidem, ni meus me fallit animus, ineſſe Aſtris vim quandam, qua ſingula ſingulos ſibi ſapores vindicent. Etenim si concedimus, & concedere neceſſe eſt, continere illa, sive virtute, sive actu, ut ſcholæ floſculis utar, (ἐνεργίᾳ ait Ariſtoteles) principes qualitates; continere etiam ſapores utpotè ſecūdarias, atque ab illis procreatas, perſpicuè

ſpicuè conſequitur. Tum ego: Acutè tu quidem ratiocinaris. & ego libenter morem gererem, ni timerem ne nimia garrulitate dicaculus vos opprimam. Scio quippè quam ſalebroſus ſit meus hic ſermo. Tum Eulalius: Imò levabis: delector enim & ipſe pulegio orationis tuæ. perge porrò, ut cœperas, atque tuam ſententiam exprome: nam hunc totum tibi dicamus diem, cujus profectò memoria mihi ſemper erit jucundiſſima. Tum ego: Hoc lubentius faciam, quod video vobis acceptum eſſe. verum ut potero quam breviſſimè ne in craſtinum, qui Germanorum mos eſt, protelemus convivium. Et ille: Cur non more Dipnoſophiſtarum laudatiſſimo, quibus nullus ſuavior erudito ſermone cibus? Cui ego: Erudite tu quidem, Eulalie. telam mox, quam orditus eram, in hunc modum pertexo.

Quoniã primoribus ſeptẽ Stellarũ (πλανήτας Græci, errones Romani dicunt) cerò ſapores pendent, ut tum acutè, tum breviter nuper Lucilius oſtendit; idcircò harmoniam cœleſti omninò reſpondentem conflare neceſſum eſt. Datis mihi iſtuc? Et illi: Nę iſtuc damus; liquidum quippè. Tum ego: Deſcendo nunc ad ſingula. & ut initium, ut fetmè fit, faciam à Supremo. Aſtringens ſapor à Saturno derivat, ut qui frigidus, & ſiccus. à Jove Pinguis fluit, contraria ratione: eſt enim calidus, & humidus. id verò utrumque ex eo etiam facilè efficitur: quia videlicet, hic ſuavis eſt, parèuſque lætitiæ, ille verò triſtis mœrorem, ac ſolitudinem mortalibus affert, ut ſapores illi. quorum primus palatum contriſtat, alter verò lætificat. Acer, atque Auſterus, qui affines inter ſe ſunt, Soli conveniunt ad unguem. quemadmodum enim in Sole ſumma vis ad animantia procreanda, conſervandaque. quapropter generationis author à Physicis jure optimo dictus eſt: ita prorſus in duobus hiſce ſaporibus maxima vis ineſt ad vitalem

ſpiritum confirmandum, vireſque viventium adaugẽdas. Venus, quà nihil in Orbe dulcius, Dulcem meritò ſaporem, quo nihil gratius, ſibi vindicat. Mars Salſum, & cum ſcævo lumine terras aſpicit, Amarum. id verò ex illius natura planè conſequitur. Lunę verò, humida cum ſit, ac frigida, Insipidius reſpondet. Mercurio Acidus, quippè tenuis, moderatique temperamenti. Et jam habetis, me quidem judice, manifeſtiſſimè ſaporum conniventiam cœleſti persimilem. in qua Luna ad Semiditonũ, Mercurius ad Sextam minorem deſcendit. Sol Sextæ majoris præ ſe vicem gerit, Mars Quartæ, Saturnus eſt vice Ditoni, Juppiter Quintæ. Venus tandem principem occupat locum, Octavam referens. Atque ob id à duobus hiſce ultimis hominum fortunas, ac fęlicitatem pendere non ſine puerilibus næniis Ægyptii, Caldæique, mortalium quotquot vivunt ſuperſtitioſiſſimi, ſomniati ſũt. Hic Lucilius: Summopere gaudeo, quod te interpellavi: quando tam prę-claram nos harmoniam docuiſti. Cui ego: Gratias ago, & tibi etiam habere vellem, quò tua mirabili ad Cermennam profectione, tuiſq; interpellationibus mi anſam præbuiſti non illepidæ narratiunculæ. Ille verò: Divinavi certè, Eulalie: nonne tibi aſſeveraveram, fore, ut non omitteret occaſionem Parthenius? Ita verò, Tum ille: Proh quanto in theatro recitabitur hæc tragedia! Quibus tum ego: At perhonorificè, & multa quidem laude veſtra. quinimò veſtrum gratia, Musicam hoc præſenti anno auditoribus meis explanabo, qui lætiſſimus, idemque fauſtiſſimus erit tot palmarum triumphis, ut ſibi teſtudines, ac lyras, cõcentuſque omnes jure, meritòque poſtulet: & eò præcipuè, quod, ut conjecto, idem nobis, reique literariæ ſecundus affulget. nam neque Vejoves timendi erunt, nec bruta fulmina. Hoc loco Lucilius: Eamus cubitum: ſatis, ſu-

per-

perque disputatum est. assurreximus igitur, lotisque manibus ad somnum proficiscimur.

CAPUT VIII.

Post secundas mensas quis fuerit primus Musicæ inventor, & quanta illius esset utilitas, perquisitum.

SEdebamus ad epulas perquam frugales, & verè Platonicas ego, Lucilius, & Eulalius, cum primis ferculis jam remotis, puer lancem dextra, surpiculum læva manu ferens, bellaria in mensam intulit. erant in una Appia, Cydoniaque mala calamino melle decocta, conspersaque cinnamomo, in altero verò pyra Græcula, Falerna, & Aniciana mitissima, vuæ Aminææ, pergolanæ corniculatæ, & Creticæ cum hypomelide alba, & rubra: quam cum vidit Lucilius: Gratias ago tibi puer, quod vernos tuberes attulisti, mihi quam gratissimos. Eulalius Creticam uvam laudavit. ego Cydonium decoctum, saccharoque imbutum; quippè quod stomachum fovet, cibique coctionem juvat. Dum verò quisque pro suo genio fructus comederemus, tum ego: Quoniam hesterno die de saporum consonantia sermo habitus est, & quidem benè longus, nunc de Musicæ inventore, atque utilitate pauca disseramus. Illi verò: Cur non? id nobis erit jucundissimum. Tum ego: Dic primus, tu Eulalie, qui Lucilium ætate præcurris; sequetur post ille, quippè natu minor. Tum Eulalius: Ineptiam, inquit, si jubes. Cui ego: Jubeo, atque impero. Et ille: Morem geram. statimque telam eleganti, teretique filo orditus est hoc modo: Sunt complusculi, qui Musices parentem Orpheum statuunt. qui lyra adinventa, & quatuor instructa chordis (quocirca tetrachordum appellata) primus omnium cantui sonum

associavit, tam concinnè, tam numerosè, ut feras tenuisse, & flumina poëtæ commenti sint. quod belle quidem Propertius pinxit:

Orphea te tenuisse feras, & concita dicunt
Flumina Threicia sustinuisse lyra.

Illum verò ad relevandos animorum labores, qui plurimi inter navigandum occurrunt, & ad longè, ignotæque viæ tædium, otiaque fallenda, sibi comitem Argonautæ adjunxerunt, ut cecinit Flaccus in Argonauticis: & tu in Nauticis tuis non inelegantes versiculis hisce, quos etsi teneas, quippè tuos, mihi tamen recitare volup, imò & Lucilio. Cui tum Lucilius: Ita verò: recita, quæso. Tum ille statim memoriter decantavit:

Thermaico nauta de litore qui freta primùm
Tentarunt, pulchræ succensi laudis amore,
Secum una in Graja duxerunt Orphea puppi.
Qui cantu egregius, cytharaque insignis eburna
Luderet, & longi fastidia falleret oti.
Ægai fluctus sulcabat Thessala pinus
Argolica tum pube, lyram sed candidus Orpheus
Alta puppe sedens animabat, & athera cantu
Mulcebat, velut albus olor, dum flava Caystri
Ad vada, Maandrive sedet sub margine ripæ.
Cantu quo scopuli, & tellus vicina sonabat;
Et rauca attoniti ponebant murmura fluctus.
At socii interea leniti carmine mentem,
Non maris errores, tempestatesque sonantes
Formidant, dubiosque dies, vel inhospita Ponti.
Non patria telluris amor, non chara parentum
Cura movet. dulcis cytharæ sonus occupat aures,
Pierioque silent sopitæ carmine curæ.

Alii verò non pauci Amphionem ad hunc gloriæ apicem evexerunt. qui testudinem primus excogitavit, & quasdam concinnavit cantilenas. illas verò notis ne-

scio

ſcio quibus teſtudini adaptavit: tantaque fertur ſuavitate ceciniſſe, ut etiam ſaxa traheret ad Thebarum muros ædificandos. Quod magnificè ſatis pro more poëtę noſtri commendarunt: & primus Horatius,

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blandâ
Ducere quò vellet.

Silius verò paulò uberius pro more, eleganter tamen:

Argolicis quondam populis, mirabile dictu,
Exaudita chelys lapidem teſtudine felix
Ducere, & in muris poſuiſſe volantia ſaxa.
Hac Amphionio vallavit pectine Thebas,
Et ſilice aggeribus per ſe candente vocatis,
Iuſſit in immenſum cantatas ſurgere turres.

Ego, si fas eſt dicere, quod ſentio, altius Musices exordium repeto: nimirum ab Apolline, quem primum ex cantu, ſonoque nova inter ſe arte, mirumque in modum copulatis, harmoniam illam perquam ſuaviſſimam elicuiſſe, & poëtę, & hiſtorici conſentiunt; atque ob id in Deorum numerum relatum, Musiſque, & Gratiis præpositum. verum in quæ id tempora ceciderit, non ſatis compertum eſt. Sed jam ego præſulem egi: ſequatur porrò, si volet Lucilius. qui divitiis orationis ſuæ pauperiem meam compenſabit: & convivii hujuſce leporem jucundiorem reddet lepore ſuo. Tum Lucilius. Euge, euge palmam obtines, Eulalie. ipſe verò timeo ne potius aſperitate verborum, atque inelegantia ſermonis elegãtiſſimi convivii nitorem offuſcem. quare prius dicere debuiſſem; nam ut tritum illud: Qui canit peſſimè, primus incipiat. verũ ne provinciam detrectem, videarque minus obtemperans erga Parthenium noſtrum, qui perinde te, ac me unicè diligit, imò etiam amat, dicam pro mea tenuitate ſententiam. Cui ego: Imò facies, ut ſentiamus, qui vir sies, nimirum

ſummi ingenii. Et ille: Vide ne fallam expectationem tuam. Ego verò: Incipe tandem: iſtuc ego videro. Tum ille orſus eſt hoc modo: Haud equidem, Eulalie, ut apertè fatear, abs te ſentio: qui poëtæ noſtro belliſſimè adblandiris, dum in poëtas, & poëtarum principem Musices invẽtionem refers. Ego, ut hiſtoriis potius inhæream, quam fabulis, multiplicem afferam de hac re ſententiam, quam à veteribus accepimus. Nonnulli paſtorem neſcio quem Musicę parentem prædicant. De illo tamen, ut fermè fit in re pervetuſta, non conſentiunt inter ſe. Quidam enim Arcadem fuiſſe perhibent, quidam verò Bæotium. Ego cum primis facilè ſentirem. Arcades enim, quorum regio paſcendis æſtate gregibus accomoda, atque amœniſſima, tum cantu, tum ſono addictiſſimi fuerunt. atque hinc illud poëtæ:

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, & reſpondere parati.

Hic, quicumque ille fuerit, cum ad amœniſſimam rupem, ex qua in ſubjectam convallem nitidiſſimus rivus defluebat, gregem paſceret, mirèque delectaretur decidentium aquarum ſono, quem undæ diversimodè in lapides incurſantes, varium quasi tonis, edebant: ut erat acuti, præſentiſque ingenii, ſtatim in illam incidit cogitationem, fieri nimirum poſſe, ut etiam arte ille ſonus ſuaviſſimus eliceretur. juvit Deus hanc mentem, quo ſuggerente profluxiſſe artes quamplurimas nemo unus, qui ſit ſanæ mentis, negabit. ſumpto igitur calamo, nobile illud, etsi informe, utpotè primum, Musices rudimentum extudit. atque hinc ortæ deinceps paſtoritiæ fiſtulæ, cicutæ, aliaque id generis, quibus uti primitùs paſtores conſueverunt. Alii quidam, non me præterit, ex dulciſſimo avium cantu invitatum, atque edoctum ad canendum paſtorem primùm, mox reliquos non levibus conjecturis affirmant: quas narrare

ope-

operæ pretium auribus non est. Hic Eulalium spectans. Habes, inquit, quod reponas? Et ille: Nihil admodum. perge porrò, non oppedo. Tum sic ille: Complaries ab incude excusam primò Musicam tradiderunt. è durissima nimirum parente (quod sæpe in humanis contingit) tenerrimam sobolem. cum enim quatuor mallearores æs cuderent, atque alternis, ut assolent brachia jactarent, animadvertit Philosophus quidam (de quo nec unus omnium consensus est, quod in re antiquissima, nec satis perspicua plerumque fit) ex alterna illa pulsatione diversos sonos edi. quare id illicò confecit. posse scilicet instrumentum quoddam componi, ac tali modo adaptari, ut in illo digitorum percussione, certis alternata numeris, aut fistulæ, aut nervi vocales fierent, inque concentum blandè sonantem auribus conspirarent. At novi profectò, Parthenie, te in illa esse hætesi, ut Mathematicis tuis, Pythagoræ præcipuè hanc laudem tribuendam censeas, qui numeris præ quibus habebat in deliciis nihil, hanc Musicam elegantiam effeciisse perhibetur. nihil sanè habeo, quod objiciam. Scio quippè illum solertissimum fuisse numerorum, Naturæque mysten. Hic ego: Erudite quidem, atque eleganter, Lucili. utri verò vestrum palmam adjudicem haud scio. Sed jam quid de utilitate censetis expromite. Tum Lucilius: Hanc, inquit, tu spartam da nobis exornatam. Tum ego: Obsequar petitionibus vestris, & eò lubentius, quod vobis dicendo defatigatis, par est me vacuum, & otiosum non esse. Enitar igitur, & efficiam, ut quanta sit Musicæ facultatis utilitas è paucis apertissimè intelligatis. ne verò tempus in partitionibus insumem, utar ea porta, quæ primùm sese offeret. Et quidem magna est oppidò in cantu, sonoque potestas, ut humanum flectas animum, & in quos velis affectus trahas. idque magnificè cum Alexandro fecisse Timo-

motheum memoriæ datum eſt. Nunc enim laſciviente modo in tripudia,& choreas agebat: nunc gravi ad ſeria revocabat: nunc languente, & lamentabili in amorem incitabat: nunc pudico ad honeſtatem deducebat: nunc hilari, alacrique in lætitiam diſſolvebat, & gaudia: nunc flebili, ac ſupplici in mœrorem, ac ſolicitudinem immergebat:nunc ſevero,atque immiti ad ardua erigebat: nunc iracundo in iram, indignationemque accendebat. Id verò tanta efficacia; ut tot, tantiſque figuris tepentè mutatis, & ad vivum expreſſis,Proteum illũ diceres,non Alexandrum.Sed maxima profectò Musicæ vis eſt in componendis animi affectibus, vitaque tectè,piéque inſtituenda: ut illam jure,atque eleganter,animorum purgationem,non minus inter Cęſares, quam oratores Auguſtus,Julianus appellaverit. idque ut conficiam hoc unum exemplum producere ſatis duco. Ferveſcat tyrannus irâ: minas trux ſupercilium intentet, ardentes ignem fulminent oculi, ſupplicia vultus minetur, os rabie ſpumet, indignatione pectus exæſtuet,collisi mutuò dentes frendant: ſupplosi pedes ſtrepant, ſolumque quatiant minitantes.cęlum erectæ feriant manus: digiti mortem indicant,indicentque. totuſq; demum terrorem miſeris ſpiret, deſperationemque. At si lyram numerosè pulſet, ſcitèque Pythagoras, canoroſque digito ſonos eliciat, implacatum hunc, efferumq; animum momento placabit. Etenim Musica deliniens,iram primò temperabit,mox leniorem reddet animum: hinc in miſericordiam flectet, atque in manſuetudinem emolliet. amorem poſtremò afflabit non invito. ut qui modo ardebat efferus iracundia,durus verbis,horridus minis, inexorabilis prece,inflexibilis ratione,fiat amore blandus, manſuetudine mollis,affectu mitis,tenerque blanditiis. Influunt quippè in animum ſoni, illiuſque affectus per-

quam

quam varios vi ſua moderantur. quæ quidem maxima nobis è Musica utilitas eſt. quæque illius dignitatem plurimum commendat.

Nec tantum animi, ſed & corporis medicina eſt. etenim pulſatam olim è Creta peſtilentiam una dumtaxat Musica, proditum in veterum annalibus eſt. & morbos item quamplurimos hac una curatos eſſe plurimi tradiderunt. Et ſanè id ego proferre poſſum, quod manifeſto experimento comperi. Ægrotabat vir quidem ſummo loco natus, & quicum mihi à prima adoleſcentia intima familiaritas fuit. febris ex illarum genere erat, quas acutas medici vocant. quæ eò difficilius curantur, quòminus ſe principiò produnt. quemadmodum ab occulto hoſte, ac simulato haud facilè, ut ab aperto, & cognito cavemus. jam ſeptimus dies erat, quem decretorium dicunt; cum adeò violenta vis morbi fuit, tam fervens inſultus, ut jam de illius ſalute conclamatum videretur. æger tanto animi mœrore, tantaque virium laſſitudine oppreſſus jacebat, ut nihil ſupra. tum propinquus, ut ferme fit, ad illum accedit propius conſaluturus: rogatque numquid vellet? ille reſumpto tantiſper ſpiritu, Musicam, inquit, ut moriar cygni vice. Nihil morę interpositum: accersitus illicò eſt ſcientiſſimus Musicus. qui ut venit, hilari ſtatim concentu lyram pulſare cœpit, & amœniori item cantu feſtiviſſimè concinere. mirum oppido: viſa eſt repente vis morbi cedere, remitti febris, inducique temperies. tandem ægrotus repente convaluit. Vix hæc, cum famulus intervenit, nunciatque adeſſe virum quendam nobilem. cui ut obviam iremus, ſtatim aſſurreximus.

ÆTSA-

ÆSTATUM SURRENTINARUM

LIBER III.

CAPUT PRIMUM.

Occidentalis Surrenti ora deſcribitur, ubi mentio fit de Villa Pollii Felicis: mox quantum ab incendiis Veſuvii vertex imminutus, deque illius igne quæſitum, anrevera è Tartaris erumpat? & quid de ſpectris inibi viſis ſentiendum.

EXactis jam diebus Caniculatibus, September appetebat: & si rectè memini, recurrebat Auguſti dies proximus à poſtremò. quo tempore verſabatur mecum in Surrentino Sextus Niger adoleſcens rarę admodum indolis: & futurus proculdubiò doctiſſimus, si diligentiam ingenio, atque exercitationem ſuppeditaſſet. quòd in magnis ingeniis fæpenumero uſuvenit. etenim dum sibi nimium tribuentes, ingenio fidunt, ſtudium negligunt, uſumque deſpicatum habent. atqui certè errant tota via. siquidem Sapientia ex uſu, exercitationeque, quasi à patre, à memo-

moria verò, sive ingenio, tanquam à matre progignitur; ut optimè Afranius vetustissimus poëta apud Gellium,

Vsus me genuit, mater peperit memoria:
Sophiam vocant me Graii, vos Sapientiam.

Quod quidem illi, cùm meus in Græcis primùm literis, mox in Mathematicis disciplinis auditor esset, sæpiusculè inculcabam; & quamplurimis interdum stimulis oscitantem excutiebam, atque incitabam. Hunc igitur illo die, qui mihi solennis erat, advocavi. Ille tum: Præsto sum, inquit. Et ego: Quoniam, tandem, vergente ad vesperam die, fractus tantillum est, ferventissimus calor, age naviculariam accerse: illique clavem januæ, quæ est ad pensilem ponticulum tradito (fores enim, quæ ad posticum antri ostium, solo vecte obfirmantur) jubetoque naviculam deducere, & striatis columnellis, & tecto lineo instruere adversus Solis æstum. Hic Sextus: Superis gratia, quod bonam hanc mentem tandem tibi dederint; ut demum te respicias, atque animum parumper à studio remittas. Cui tum ego: Fateor: laxamento opus est mihi, quippè defesso à studio perquam longo. an etiam tibi, affirmare non habeo. Et ille: Itane verò me scommate excipis? At ego: Jacere ridiculum meum non est, sed seriò admonere. at age jam, compone apparatum piscarium, & mane tantisper dum ego epistolam conscribam secundum hunc diem missurus Neapolim. Tum ille: Dabo operam, ut omnia diligenter fiant. tu verò, si ad Eulalium, quem perinde tu, ac ego diligo, scripturus es, fac, sodes, illum meo nomine salutes, urgeas item, ut ea ad nos quantocyus mittat, quorum hic opus habemus, & de quibus post prandium habitus est sermo. Cui ego: Opportunè quidem tute mones. Exciderant quippè memoria: quocirca, fac ut iterum sugge-

geras. Et ille. Faciam libenter, auſcultа modo. Cui ego: Cedo, aures arrigo. Tum ille: Farinæ ſiligineæ duo pondo. verùm moneto illum, ut ſit recens, & ex polline tum niveo, tum ſubtili: ſi ſecus haudquaquam apta ad intritam ſubigendam pro fartis dulcariis, & iſtiuſmodi panificiis. ſimilæ item duo. furfuris ad alendos pullos gallinaceos faccellum unum. Hic ego: Eſt in Ornithone triticum Indicum. Et ille: Sed quantum vix una diecula ſuppetat. Tum ego: Curabo, ut Stabiis, ubi, cum nundinæ ter in hebdomade celebrantur, vili diſtrahitur, cum querno carbone, qui indidem mihi traſmitti ſolet, coëmatur. Tum Sextus: Bene eſt. tamen illi ſcribito, ut extorqueat à piſtore excreta tritici. his enim pulli, & veſcuntur libenter, & fiunt pinguiores. Tum ego: Conſultò tu quidem mones. neque iſtuc perdifficile. etenim piſtor vir eſt in me haud illiberalis. verum melius à re noſtra eſſe duco, ſi pullos ne nominemus quidem. nam aliter dabimus anſas ſermonis: & ad carpendum prona hominum ingenia. Et ille: Dicent fortaſſe nos hic vivere genialiter? dummodò valeamus rectè, quidquid vulgus ſentiat, non laboro. Ego verò: Sed ne minus commodè audias, præcavendum eſt: Quin etiam turpe eſt aliorum ſermone vapulare. verum pergamus portò. numquid eſt aliud, quod ſcribam? Et ille: Etiam. Cui tum ego: Videlicet? Et ille: Mittat Phialas quatuor vini rufi ex collibus Aniani melioris notæ. moneas illum, quæſo, ut caveat ſolertiſſimè, ne cellarius det vel ſecundarium, vel vapidum, ut proximè fecit: & ut phialæ ſint paleis vice reſtium contortis, & conveſtitæ. ſi ſecus inter vectandum conterentur, ut nudiuſtertius factum eſt. Cui tum ego: Planè benè præcaves. aliter incides in ſermonem. domeſtici quippè hic te vino liberius indulgere dictitabunt. Tum Sextus: Verum

enim

enim, ita fiet, ut dicis. nam te sciunt esse abstemium. At ego. Nonne melius esset, si mitteret subacerbum Atellanum? memini enim me legisse apud Columellam, cibum optimum esse cum pane hesterno, & vino austero. Hic Sextus: Jocaris, Parthenie? Cui ego: Minimè verò. Et ille: Apage sis cum illo subaspero. salubrius oppidò foret secundarium. sed accipe reliqua: Cui ego: Dic porrò. Et ille: Bellariorum Ligusticorum libras tres. sint thyrsi lactucacei, cucurbitæ, pepones, pyra, atque citria saccharo imbuta: nam si nos amici convenient, nihil domi est hujusce modi, quod apponas, vel farta liba conficias: ambubejæ fasciculos duos. Hic ego: cichorium insativũ vis dicere. Et ille: Ita: Scio quippè illud tibi gratissimum, quò amarius enim, eò salubrius est: sed pergamus porrò. intubi hortensis quatuor, fœniculi tres, sileris duos, sessilis verò lactucę, quæ laudatissima est pro acetariis, fasciculos quatuor. Hic ego. Estne amplius? Et ille. Mane, nondum. farris Romani pondo unũ, & unũ vermiculorum edulium ex panis medulla, ovorumque vitellis, subactis. Selibram Græcarum nucum, caveat ne sint Thasiæ amaræ. unciam piperis, semunciam cinnamomi, Cariophilli verò aromatici duellam. Hic ego: Undenam espiscatus es hoc nomen, duellam? Et ille: Ex te. habes enim Bellicorum II, ubi militem doces quantum pulveris pyrii opus sit ad singulos sclopi ictus. statimque versus, quos dum transcriberet, memoriæ mandaverat, recitavit.

Ast age, & è spatiis utcumque egressus iniquis,
Quà nullis patuit signis via trita priorum,
Quo sint ara modo gravidanda in prælia, certas
Hostibus ut strages pariant, & funera, tiro,
Accipe. Fulminei geminas immitte duellas
Pulveris in sclopum: concluſum vascula quantum
Querna tenent, talem tibi quæ gestantur ad usum.

Ve-

Verum si subiti succendant prælia casus,
In medio plumbata vola, incurvaque locetur:
Quam mox flammivomo totam rege pulvere: tantum
Sat: geminis tantum par assolet ire duellis.

Tum ego: laudo solertiam hanc tuam, felicitatemque memoriæ. sed age, cedo quid sit duella? Et ille: Duæ sextulæ, nimirum tertia pars unciæ. Tum ego: Eruditè, & ut decebat grammaticum. Ille verò: Id totum tibi debeo, quando tum exemplo, tum continuis fermè exhortationibus ad studia literarum impellis: ut velim, nolim, ad frugem applicare animum necesse est. sed ausculta: recitabo reliqua. Cui ego. Huil tam multa vis, ut una vice transmittat? nimis providus profectò es, utilitatum, opportunitatumq; tuarũ. Et ille: Si ità tibi videtur, abstineã. siquidẽ aures meæ tuis semper admonitionibus patent. unum tamen, vel alterum velim ne te prætereat. vinum nimirum medicatum ex calybe, quo uti consueviſti ad obstipatos corporis meatus relaxandos. Cui tum ego: Gratias ago, quod istuc mihi in memoriam induxeris. id enim medicamenti præsentissimum expertus contra illiusmodi morbum, quo identidem laboro. Ille tum: Curam tui habeo æque, ac mei. Scio quippè apud te quanti sim. Ego verò: Certè summo loco te numero. atqui tibi istuc debes. meritò enim tuo te diligo. verum est ne aliud, quod me monitum velis? Ille tum: Unum, ut nimirum pecuniam transmittas. quam enim penes se habebat, ad denariolum numeravit. Tum ego: Rectè admones. verùm cui credam pecuniam? An puero, qui literas, & vidulum Neapoli ad nos defert? at vereor, ut illam aleis decoquat, vel, quod prius est, in ganeis. Tum Sextus: Mihi videtur modestus, & cui nummos credere possis. Ego verò: At mihi, experientia in causſa est, ut videatur secus. falsus enim sæpiusculè ab istiusmodi

aspe-

aſpectu. Sæpe facies mentitur mores. At Sex: Alias fidiſſimum expertus ſum. Ego verò: Pecuniam, quam ei credidero, fide tua eſſe jubes? Et ille: Minimè verò. Tum ego: Quare mihi commodum videtur, si pecuniam Neapolim permutem, quocirca mittam (cauto quippè opus eſt) ſchedulam menſulariam, ut è publica menſa, cui Pietati nomen, accipiat. Hic Sextus: Ita mihi etiam videtur. laudo prudentiam tuam, qui pecuniæ tam bene conſulis: remque tuam non malè geris: Cui tum ego: Si ſecus faxim, decoquerem citò. ſcis nempè tenuitatem meam. Mox ego ad ſcribendam epiſtolam, ille ad ea, quæ mandaveram, faceſſenda perrexit.

Vix dum exaratam epiſtolam ſigillo obſignavi, cum Sextus ſe mihi iterum in conſpectum dedit. ut vidi, illicò aſſurrexi, relictiſque crepidulis, calceamenta indui, acceptoque petaſo, & baculo, Eamus, inquam, ad remittendum tantiſper animum, nimiumque calorem tepidiuſculis auris temperandum. Ille verò: En tibi præſto ſum cum piſcario apparatu. Nihil igitur morati, ad oram maris per pomarium deſcendimus. habet hoc commodi Surrentinum noſtrum, ut ex ipſo ſecretiſſimè, & à nemine viſus, quoque velis habitu, ad mare mees, remeeſque. quam ego libertatem plus ſanè facio, quam olim Corcyræi ſuam. apud quos decantatum illud, Ελευθέρα Κορκύρα, χεζ' ὅπα τέλεις. Ubi ad mare ventum eſt, naviculam ſubimus. jubeoque navicularium ad Occiduam Surrenti oram, quam devexus jam Sol inumbraverat, iter intendere. Mons qui & amœna, & viridi Surrentum corona præcingit, atque intercurrit, à Meridie in Septentriones porrigitur, ſenſimque dejectum in clivum deſinit, aſperum quidem ob fluctus maris. ibi nunc turris ſpeculatoria, ad arcendos piratas, olim templum fuit Neptuno à Pollio

Felice inſtructum, cujus ad proximum ſinum villa erat, quam II. Syl: elegantiſſimè Statius depinxit:

Eſt inter notos Sirenum nomine muros,
Saxaque Tyrrhena templis onerata Minerva,
Celſa Dicarchei ſpeculatrix villa profundi:
Quà Bromio dilectus ager, colleſque per altos
Viſitur, & prælis non invidet uva Falernis.

Univerſus Montis tractus, qui ad L. paſſus excurrit, quāvis ſilice duriſſimus, tamen tum propter veſpertinam umbram, & odoros ſcopulos, tum propter oleas perpetuò virides, quibus latè conſitus, vel amœniſſimus, vel deliciosiſſimus eſt. accedit & illud, quod plurimum ſanè voluptatis affert, nimirum æſtate ob ipſum collem, cujus objectu regitur, minus unda à Zephyris commovetur; quocirca & pacatior eſt, & placidior. non longè à Surrento opacum ſinum habet, ex quo veſpere jam facto, auræ, quæ in ipſo exoriuntur, ſpirant quam placidiſſimæ. propter illam Thynnorum piſcatio tota ferè æſtate peragitur: & ipſa vilu perjucunda. propè à promontorio, ubi olim Neptuni fanum, circus ad modum caveæ inſtructus, in quem excisis, perforatiſque rupibus, mare intromiſſum. ſtagnum fuiſſe crediderim, in quo Naumachia à Pollio habebatur. naviculis patet, quæ manu ipſa, vi facta in rupem, aguntur porrò. locus perquam genialis, quem graphicè idem Papinius deſcribit.

Mira quies pelagi: ponunt hic laſſa furorem
Æquora, & inſani ſpirant clementius Auſtri:
Hic præceps minus audet hyems, nulloque tumultu
Stagna modeſta jacent, Dominique imitantia mores.

Poſteà verò quam, properato curſu, ob Solis calorem, omnem illum tractum, qui à Surrentino noſtro Surrentum uſque recurrit, Solique expoſitus erat (mane & umbroſus, & amœnus) mox collem ipſum cui

urbs

urbs imposita est, qui pariter insolatus, prætervimus, optatissimam statim montis umbram subingredimur, ac frigidulum aërem respiramus. Hoc loco Sextus: Hic ego nunc paulum exorior, nam abæstu deperibam. Ego verò, quò major esset animi oblectatio, & exhaustæ diutina exercitatione vires plenius reficerentur, jubeo lineum puppis tectum auferri, ut sic aperto cœlo, liberoque prospectu frueremur: & scopulos propter cymbam quam lentissimè promoveri. Ubi verò ad modesta illa stagna ventum est, illicò Sexti animum cupido subiit, locum adeò celebrem, ac pulchrum invisere. idcircò me rogat, ut suo desiderio obsequerer: Ego verò: Faciam alias: nunc opus esset cymbam toto apparatu denudare ob angustias rupis. Et ille: Amabo te, da mihi & hoc. fortasse alias, occasio erit calva. Tum ego: Si ità commodum tibi videtur, obsecundabo. quare jubeo navicularium amovere columnellas, atque asseres transversales, quibus cymbulæ umbella innititur: quo sic exarmatam naviculam angusta rupes exciperet. id verò, ut solerti opera navicularius præstitit, ne cymbula in alterutram inclinaretur, obliquatis in latera remis ostium subimus, & manibus obnixi scopulis, cymbam porrò impellimus. Deinde totum circum circa lustravimus summa tum voluptate, tum admiratione. inque laci medio cum pilam ex lateribus Sextus vidisset, Numquid, olim hic fons? Cui ego: Rem ipsam putasti. &, ut arbitror, ad illum respexit Statius cum dixit:

Gratia prima loci, gemina testudine fumant
Balnea: & è terris occurrit duleis amaro
Lympha mari: levis hic Phorci chorus, udaque crines
Cymodoce, viridisque cupit Galatea lavari.

Et sanè adeò secretus, atque impervius locus est, unda adeò tranquilla, & perlucida: adeò item humilis, quip-

pè quæ vix humero tenus assurgit, ut quemque ad se lavandum invitet. Et nisi frigidior sub vesperam loci aër prohibuisset, vix se Niger tenuisset. Tandem è stagno egressi, in illius aditu substitimus: ibi enim circumnare pisces, ac teneras inter saxorum herbulas gregatim lascivire animadverteram. mox hamum escâ oneratum demitto: spargoque circum offulam, quam è panis medulla, cascoque subactam habebam penes me, ut pisces inescarem, atque allicerem. mirum enim in modum nidore casei pisces capiuntur. quia verò aquæ tam nitidæ erant, quam quæ nitidissimæ, pisces quasi fraudis conscii, gnarique doli mali, summis quidem labris obligurire quidem escam videmus, ingurgitare verò nequaquam. nimirum est etiam brutis ratio ad præcavendum. Tum Sextus navicularium rogat: quinam illiusmodi pisces essent? & ille: Julides, inquit. Tum ad me: Patthenie, ludis certè operam. non memmisti Julidem vaferrimam esse? quod tuis ego versiculis didici: habes enim Halieut. II.

Callida se curvo defendit Julis ab hamo

Cui tum ego: At tu non teres, quod statim sequitur.

Non impunè tamen furatur sæpius escam.

Interea loci, dum hoc recito, trahi lineam sentio: quam illicò attollens cum præda, ad Sextum. Nonne divinavi? lætus ac si thesaurum in fundo reperissem, piscem ab hamo extraho. Sub hæc è vicino promontorio piscator, qui merces suas volebat extrudere, nos elisa admodum voce ahè compellabat. quia verò quid sibi vellet non planè intelligebamus, propius cymbulam navicularius applicuit. ut ad scopulum accessimus, rogat, si Acos nuper admodum captos, & tum pingues, tu grandiusculos emere mihi vellem. Cui tum ego: Minimè, bone vir. siquidem nihil mihi piscium opus est, vespere nequaquam comedenti. Ille verò: Erunt usui isto

tuo

tuo adoleſcenti. Tum ipſe: Illi de cœna jam vidi. habet enim præter acetarium miſcellum ex lactucis tenerrimis, bipennula, & eruca, fruſtum vitulæ perquam delicatæ, binas ficedulas, & frigillam unam. nonne his commodè cœnabit? Tum ille: Admodum, atqui aſſeruabis in craſtinum, qui Veneri ſacer. Ego verò: Piſces nisi recentiſſimi, ac pene vivi sint, ſtomacho plurimùm nocent. non tenes adagium? Piſcis nequam, nisi recens. id verò magnificè exaggerabam, ut sic ille exiguo pretio diſtraheret. Tum piſcator, quem pauperies diſertum faciebat: Si illos, inquit, origano condias, & innoxii erunt, & ſapidi. id autem si ſemel expertus fueris ſæpenumero factitabis. Cui ego: Quonam modo condiam origano? Ille verò: Accipe, paucis te doceam, patellam peramplam ſumito, inque illa acos extende: ſpargito deinde tritum ſal, tritum item allium, & tandem origanum, frigidoque in loco reponito. non te omninò diligentiæ, non jacturæ pœnitebit. nam præ ſcitamento hujuſmodi, nihil ficedulas, nihil vitulam duces. Ego verò: Bona verba, quæſo: imò si origanum olebit, erit putre ſalſamentum, ut eſt tritum. Ille tum: Mihi crede: si acos hac ſuavitate conditos guſtaveris digitos perrodes tuos. Hic Sextus: Faciamus periculum: ego illi facilè credo, ſunt quippè piſcatores in piſcibus adornandis ſcientiſſimi. Tum ego: Uſquequaque tibi obſequendum eſt mihi? Ille verò: Cunctam iſtam gratiam non ingrato facies. Tum ego: Geratur mos tibi. igitur duodeviginti acos argenteo præſtinavi... mox oria reflexa remigio, iterum propter ſcopulos ſuſpenſo remo pererramus.

Dum sic curarũ prorſus vacui, & obliti omninò rerum humanarum, quas quidem omnes deſpicio, atque infra me positas arbitror, ſummam tum è pacato mari, tum è ſereno cœlo voluptatem caperemus, animad-

vertit. Sextus è cymba Vesuvium ignem eructare, qui, nigricante jam cœlo, manifestus apparebat. atque cum hinc ansam arripuisset, me cœpit de incendio nonnulla percontari. quibus cum feciſſem satis, Aveo, inquit, abs te scire, quantum à primo incendio ignivomus vertex diminutus sit. id sanè non latebit Geometram. Cui tum ego: Dicam equidem. ut verò differam enucleate, paulò altius exordiar: dicam tamen quampauciſſimis admodum. Ea apud nostrates fama pervagatur; tantundem scilicet ambustum verticem, qui usque ignē evomit, alterum olim exuperasse, quantum hic nostra ætate illum superexcellit. quod quidem ex ipsiusmet montis figura deducitur manifestò. Etenim, viden' ut ex fundo latiore in conum, cui ab incendiis detruncatus est apex, fastigiatus assurgit? Et ille: Video equidem: & istuc do facilè. Cui ego: Age jam sis animo mecum. Viridans alter apex centum fermè passus decacuminatum supra verticem κατ' ὀρθὰς γωνίας, ut Geometræ Græci dicunt, nostri verò ad perpendiculum, attollitur. Quapropter efficitur bis centum plus, minusve passus de sua montem altitudine incendiis perdidisse. Hoc loco Sextus: Istuc satis perspicuum. verum dic, sodes, quibus vel instrumentis, vel arte, centum non amplius circiter passus ambustum supra verticem, alterum intactum usque consurgere, perscrutatus es? id enim abs te scire summoperè desidero: Cui tum ego: Istuc jam ibam, & eò lubentius, quod hisce in studiis aliquantulum versatus es. Cum essem in Sosiano, quò vos per Autumnales ferias ire consueviſtis, è limite, qui medius rus secat, & rectiſſimus ad unguem supra mille passus excurrit, quadrante Geometrico admodum grandi altioris altitudinem verticis, qui unus eò loci conspicuus, dimensus sum accuratè, ut potui. illam verò DCCCL. circiter passuum deprehendi. At

quia

quia Sosiani finiens, maris finitore altior est, assurgente sensim planitie, quæ ad montem pertinet: & ut assequi conjectura potui (libella id investigare difficilè oppidò, & diururni labotis erat) L. ferè passus: planè efficitur, DCD. fermè passus altiorem Vesuvii verticem elevari. Jam verò si culmen ignivomum cum viridante componamus, nonam partem deesse, quo minus, ille hunc assequatur, & ego oculis rationem capio: & quisque suis cojicere perquam facilè potest. quare M. olim passus fastigiatum in nubes se Vesuvium extulisse ritè concludemus. Tum Sextus: Assentior prorsus. Verum quia in re curiosa sumus, & viæ nonnihil adhuc superest, patiare, ut unum, & alterum te interrogem. Nam ego res hasce minimè ex illis requiro, quos Græci σοφισὰς vocant: qui disputandi nunquam finem faciunt, ut eo animo esse videantur, velle nimirum ætatem in litibus conferere. quocirca frustrà eos, ut olim Gellius in Græcia Proconsul, ad concordiam revocaveris? plerumque accidit, ut post longos, atque inanes verborum conflictus, nihil præter tædium auditoribus pariant: latente adhuc quasi in puteo veritate. quare veriſſimum certè illud vetustissimi poëtæ:

Nimium altercando veritas amittitur.

quocirca non immeritò ad istiusmodi homines hæc per Pollucem transmitrit Diogenes, ut est apud Lucianum: Τὸ μὲν ὅλον παύσασθαι ἀυτοὶς παρεγγύα λεγῶσι, & περὶ τῶν ὅλων ἐριζῶσι, & κεφαλὰς φύσει ἀλλήλοισ, & κροκοδείλους ποιῶσι: καὶ τοιαυτὰ ἄπορα ἐρωτᾶν διδάσκουσι τὸν νῶν. Hic ego: Gratulor tibi, mi Sexte, egregiam istam indolem, ac desiderium istud veritatis indagandæ. Cedo, quæ scire tibi est animus: dabo operam, ut expleam desiderium tuum. Tum ille: Dicam equidem, quando tanta me be-

benevolentia profequeris. Ain' ignem illum, quem modò ſpectamus nitida in cœlum flamma conſurgere, è Plutonis officina per longa terrarum ſpatia erumpere, & conflagrare? Etenim nonnullos ità arbitrari ſæpè ſæpius audivi. qui hujuſcemodi montes Tartarorum oſtia, per quæ, ut olim ex Tænaro, atque Cumana ſpecu, deſcenſus in Averna, & Manes pateat, uſquequaque appellant. Cui tum ego: Aniles, mi Sexte, hæ ſunt fabellæ, & pia terricula vulgò decantanda, ut ſceleribus modum faciat. vulgus enim, qui quidem plurimus, opinione, non ratione ducitur. quare illa juvant plurimum, ut hic timore coërceatur. inque id ipſum à Deo rerum omnium opifice, ac moderatore, tum potentiſſimo, tum ſapientiſſimo multò ante inſtituta, nempè ut ita, vel frænaret hominum inſolentiam, vel pervicaciam domaret. Cæterum, si tum Manes, tum, qui illos adurit ignis, atque excruciat miro modo, in penitiſſimo terrarum ſinu, (centrum Geometræ vocant) poſiti sūt, qui fiet, ut poſt emēſa IVMDCLXXIII millia paſſuum (quantum nempè ſpatium à medio ad ſummum uſque terrarum faſtigium eſt) Tartareus ignis ille prorumpat? & tanta item vi, atque impetu, ut vaſtiſſimi quique montes diſſiliant? Quod si revera, cuncta sibi obsiſtentia protruderet, cum ex umbilico terrarum vim moliatur, totam profectò terram à fundamentis excuteret. id autem aliquando eveniſſe (neque id ſanè sine insigni mortalium cæde, atque immani terrarum ruina accidiſſet) memoriæ proditum haud quaquam eſt. Quin etiam, ut ſemel, vi facta, sibi aditum aperuiſſet, cùm ſemper ardeat, ſemper etiam erūperet, & colluceret uſquequaque. desinit tamen, & ad annos quidem, imò ſecula. Tandem illiuſmodi ignis natura alia prorſus eſt, & præterquamquod urat, noſtro diſſimilis omninò, atque in hoc divinarum rerum in-

ter-

terpet es omnes propemodum consentiunt. Hic Sextus: Assentior facilè. Sic ego meum in animum induxeram. At pergam porrò. Quid de geniis arbitraris? Ajunt enim visos ibi Cacodæmones, qui rusticis hominibus in certum diem incendia prædixerunt: eosque miris ostentis, atque portentis perterruerunt. nam ut Latinè fatear, quod sentio, hujusmodi ego visis vix fidem adhibendam esse puto. Tum ego: Rectè tu quidem, Sexte: ætatem senili cautione præcurris. & sanè ea res præsens, ut cautio sit tam tua, quam mea, opus est. pleraq; enim, quæ de spectris istiusmodi enarrantur somniantium visa sunt, & nihil admodum aliud, quam nebulæ pictæ in pariete: alia verò eorum, qui valetudinis vitio furunt, & melancholici dicuntur, formæ, atque imagines. nonnulla tum arte, tum industria à callidis circulatoribus, ac nebulonibus conficta lucri gratia. quæ postquam apud ignavam plebeculam fidem invenerunt, pro certis divulgantur. idem accidit sæpenumero in prædictionibus, quæ post rerum eventus serò tandem producuntur. quasi non omnes post facta divini sint. Miror equidem viros quosdam, qui se prudenter, & doctos jactant perquam magnificè, ità hisce anilibus fabellis moveri, ac si tum primùm exiissent è tripode. Crede, mi Sexte, plurimum est vulgus hominum, paucosque invenies cordatos, qui, quid inter album, & nigrum sit, perspiciãt. Enimverò, non inficior, posse interdum istæc incendia à geniis tum malis, tum bonis præsagiri; utqui ex physicis caussis possunt illa prænoscere. quod quidem nos ipsi possemus prædicere, ad eum modum, quo eclypses & Solis, & Lunæ, atque his similia multò antè pronunciamus, si aditus in terrarum penitissima, ubi abditæ illorum effectuum caussæ insunt, perquam facilis pateret. Videri item Cacodæmones humana effigie, ingenti statura, visu informi,

vul-

vultu immani, ac tetro, cornibus fumigantibus, minacibus oculis: atque in hunc modum homines perterrefacere, nec mirum, nec insolens. verum, ut dicebam, hujusmodi visa, atque ostenta sæpenumero somnia, meræque imagines, ac pictæ nebulæ, aut conficta figmenta sunt. Hæc cum dixissem, in scopulum, in quem jam navicularius cymbam admoverat, exilivimus. Et quoniam tardissimè redieramus, ne humidæ nocerent auræ, domum facessentes, gradus grandivimus: totumque ascensum continenti spiritu transmisimus.

CAPUT II.

De imitatione illius loci Homerici, quo poëta in clypeo ab Vulcano Achilli Thetidis gratia facto, universarum ferè gentium studia describit: est autem accommodatum Tormento bellico, in quo universa Campania describitur: deque Villa Pollii Felicis.

SUb Augusti Kal: dum maximè fervent anni calores, & eo præcipuè, qui fuit æstuosissimus, Neapoli in Surrentinum nostrum Purpuratus Præsul diverterat: ut per dies aliquot defatigatum, qua curis, qua negotiis animum paululum relaxaret. quod quidem ni viri principes, qui Reipublicæ ad clavum sedent, & quorum curæ universorum salus commissa est, sæpenumerò faciant, labori tandem vel invitos succumbere necesse est. Etenim finitæ cùm sint hominum vires, & usquequaque labore, studio, negotiis, ac solicitudine conterantur, nisi eas identidem otio, ac vacatione instaures, tandem aliquando deficient. Id verò illi cùm modestis quidem verbis, ut par erat, sed efficacibus sæpiusculè ostendebat

oſtenderem, magnoperè hortabar, ut ſæpius factitaret: & eò præcipuè, quod locus eſſet genialis, atque interventoribus vacuus, & liber omninò ab officiis: quæ plus oppidò tædii, quam reliqua negotia afferunt. Ille verò: Facerem equidem, animis lubentiſſimis, si mihi per provinciam liceret. verum enim non licet. cùm in dies in negotiis negotia ſuboriantur, quæ mentem alió avertunt. nec certè fas eſt, quamquam id maximè velis. cujus enim curæ tot populi ſunt, & tanta populorum commoda, quibus opus eſt, ut perpetuò invigiles, haud ſanè frui otio diutiuſculè licet. Non meminiſti illius Homeri?

Οὔ χρὴ παννύχιον ἕυδειν βουληφόρον ἄνδρα,
Ὧ λαοὶ πεπίτναται, ἐπὶ τοῖσι μέμηλε.

Quod tu in Nauticis Latinè feciſti:

Nam cura ſalutis
Cui commiſſa hominum, & vitæ ſpes dirigit unus,
Non decet in dubiis concedere lumina ſomno.

Niſi mea me fallit opinio, credo te hic ad illud Homeri reſpexiſſe. Tum ego: Divinaſti certò. Attamen velim, quæſo, ut Homericum dictum, dignum ſanè tanto poëta, tum intelligas locum habere, ut meis ego verſiculis planè, & apertè innuo, cum proximè periculum imminet, & publica in diſcrimine res eſt: minimè verò cum compoſitæ res ſunt, & pacatæ conquieſcunt. Quinimò, ut Reipublicæ ſubvenire queas, tum maximè, cũ hæc opem, operamque tuam expoſcit, neceſſum eſt, ut ab otio, ac remiſſione corpore ſanus, ac vegetus, animo liber, atque expeditus opitulaturus accedas. Sic enim majus, atque in promptu auxilium ferre poteris, utpote qui habitior corpore, mente vividior. Tum ille: Sic

eſt,

est, non oppedo. Verumtamen opportunitatem nancisci in tanta tum curarum, tum negotiorum vel varietate, vel frequentia perdifficilè est oppidò. quin etiam ostentatam interdum occasionem statim arripere, ac tenere, minimè commodum. Cui tum ego: Ità sanè, id non me præterit, verum facto opus est. Plurima enim sunt, quæ moràm patiuntur; quocirca commodè differri possunt: nonnulla, quæ aliis committas, qui vicariam curam gerunt. imò expedit, ut quædam conficiantur ab aliis, quorum explorata tibi fides, ac perspecta prudentia est, ne dum cuncta velis ipse recognoscere, ac de singulis quæstionem habere, vel succumbas oneri, vel aliqua te fugiant. Hic ille: Ut quam bellè, & peracutè in villam tuam me non invitas modò, sed etiã cogis. veniam ex intervallo, si quid temporis vacuum habebo. imò promitto me illicò ea usurum porta, quã primam videro. Verùm age, donec devexior dies erat, seque nimius calor frangat; lectita mihi Homerum tuum. Cui tum ego: Faciam illicò. acceptumque ab armariolo librum, aperui, ut fors tulit. oblatus est egregius ille locus lib. xviii. in quo divinus poëta Vulcanum inducit universarum pene gentium studia, atque opera ἰδήματα πραπίδεσσι, docta nimirum mente exlantem in clypeo, quem Thetidis gratia Achilli fabricabat. Postquam locum omnem pereurrimus, Nonne pulcherrimus, inquit, ac poëticus totus quantus quantus est? Cui tum ego: Ità prorsus: neque quidquam est, quod in illo desideres. Et ille: Sed quam venustè, quam eleganter illum imitatus est Virgilius noster lib. viii. statimque, ut poëtam Latinum lectitarem limpida voce, jussit. Cùm igitur librum è mensula, ubi mihi semper ad manus erat, accepissem, locum illum placidè, ac sonorè recitavi. vix tandem lectus, cũ statim ille: Papæ! ut venustissimus, æquè, ac delicatis-

si-

simus! illum ego audirem millies, non modò sine tædio, sed summa animi voluptate. ad me verò, Videtur mihi, inquit, quid simile fieri posse in Bellicis tuis. enitere: audendum profectò aliquid est, quo tu etiam ad aliquem honoris gradum ascendas. Tum ego subridens: Feci quidem, sed tantum sperare non ausim. scio quippè tenuitatem ingenii mei, & quot in salebris nostri hæreant versiculi. Tum ille percupidus: Amabo, cedo, ubinam? Et ego: In Tormento Bellico, quod illustri, elaboratoque opere insigniri usus obtinuit. id verò in Foro Vulcani ab ipsomet Vulcano factum confingo. Et ille: Laudo, studium tuum. quia verò adhuc aliquantisper expectandum nobis est, quoad æstus magis temperetur, recita, sodes, locum istum: erit profectò tam jucundus, quam qui maximè. Tum ego: Facerem haud gravatè si tenerem memoria, & versus essent castigati ad unguem. Ille verò: Die de scripto, utut sunt. afficient me, quamvis illaborati summa voluptate. Tum ego: Si sic jubes, non restito. verum eo pacto, ut de illis judicium tuum, quod ego magni æstimo, planè feras. Quod cum ille mihi pollicitus esset, ac recepisset ad se, ego tabellas è trusatili arcula eductas lectitavi hoc modo.

Hæc ubi dicta, virum Phlegræa in penetralia ducit,
Plurimus arcano quà fumat ab igne caminus.
Namque hic materies, dictu mirabile, nulla,
Nulla vel arsuris præbentur pabula flammis:
Nec Cyclopes alunt torpentem follibus ignem.
Verùm perpetuò gremio telluris abimo
Per cæcos, vi facta, aditus erumpit in auras.
Quod mirum & magis est, non flãma absumit edaci:
Cuncta licet tacito serpens fervore perurat.
Est etenim miseros idem, qui, Dite ministro,
Horrendùm fontes sub opacis torquet Avernis.

Hunc

Huc ubi perventum, cæcas abſiſtere flammas
Vulcanus jubet: & nigrum ſubſidere fumum
Tartara ſub; glaucique gravem depellit odorem
Sulphuris. Eumenio mox curru impoſita tonanti
Oſtendit tormenta: oculis ſitientibus ille
Inſolitum miratur opus, operiſque laborem:
Et calata novo miratur ſigna metallo.
Namque omnem in medio Campanam Mulciber oram
Sculpſerat, & longa totum Cratera corona
Curvarat, vitreaſque ſinu calaverat undas,
Mirum opus, & dextra dignum, ingenioque magiſtri.
Hic medius gemino ſurgebat vertice in auras
Vesbius, hoc circum ſylvis redimitus, & illo
Horrida ſub cœlum flammis incendia ructans.
Hinc per Pompejos, & apricas Herculis arces
Cernere erat ſubita trepidas formidine gentes
Errare: & refugo nonnunquam viſere montem
Obtutu: ſubitoque oculos avertere flammis.
Non longè dextra præcinctus arundine glauca
Per campos leni currebat murmure Sarnus.
Illinc, & Stabias, & amœna in colle virecta,
Et Vicum, & ſemper lætum felicibus umbris
Surrentum, & propter Campeſtria pinxerat arva.
Hic virides inter ſcopulos, & opaca phaſeli
Antra videbantur vitreos diffindere fluctus.
Et qui forte ſinu Colomelidis otia Vates
(*Vrbis, & ingrati perteſus jurgia circi*)
Dulcia captabat muſcoſo in vertice ad umbram
Conſidens: Zephyrique afflatus mollibus auris,
Difficiles artes, & prælia dura canebat.
Ingenui circum pueri, pulchraque Camana
Murmure plaudebant læto, ſertumque parabant.
Candidus & ſupra nive mons ſurgebat: ab illa
Dictus & indigenis mons eſt Lactarius, illi

In-

Inque globos, cumuloſque nivem ſtipare videbas
Cura homines multa, magnaſque implere lacunas.
Mox opere expleto, menſas ornare, famemque
Perpingui tauro, fuſcoque explere Lyæo.
Inde ſinus Polli, Grojaque inſculpta Minervæ
Delubra: & colles venator plurimus inter
Apricos celatus erat, perque uda vireta.
Ille coturnicem, perveſtigante canumvi,
Baliſta, aut ſclopo dimiſſa glande petebat:
Collibus in ſummis expanſo hic rete. ſed ille
Ficedulam certa ſignabat in arbore: nitroque
Ilicet accenſo, cedebat miſſile plumbo.
Vertice ſed ſummo falconem Veſpolus arte
Captabat mira, & ſocii clamore favebant.
Hinc æſtu modico præterlabente remota,
Spumoſo Capreæ canebant undique fluctu.
Parte alia extento vernabant æquore campi,
Per quos vicino veniens à fonte, fluebat
Irriguis Sebethus aquis. hic flumina propter
Plurimus herboſis olitor curſabat in hortis.
Hic olera, hic nitidos flores, hic poma legebat.
Hic ducebat aquam, & ſitientia prata rigabat.
Ille maritabat vites ſolertior. aliam
Hic vertebat humum. viridi ſub tegmine fagi
Ille jacens ſervabat oves, & inertia dulci
Otia fallebat cantu, calamoque canoro.
Dein, ubi vitiferi molli conſurgere clivo
Incipiunt colles, regales ſculpſerat ades,
Marmoraq; & fontes, vitreaſque in fontibus undas.
Et pictoratos ſignis effinxerat arcus.
Hinc qua Sirenis longiſſima ſemita ad urbem
Inducit, cincta arboribus felicibus umbra,
Fontibus & poterat liquidis ornata videri.
Poſt ipſos longo colles curvaverat orbe

Mul-

Mulciber. ipſa velut picto Thaumantias arcu
Verſicolor cœlo ſeſe decircinat Iris.
Horum in declivi, pandique è more theatri,
Pulchram Parthenopen pulchro cœlaverat arcu.
Atque omnem ſolers hic ille impenderat artem.
Cunctas quippè vias ſua per diſcrimina, & omnes
Illarum flexus, palatia ſingula, & ades,
Et fora porticibus circùm præcincta ſuperbis,
Et turres, atque alta tholis delubra Deorum,
Marmoraque, & fontes poteras, ipſaſque videre
Diverſum hac, illàc turmatim currere gentes.
Quin etiam portu naves effinxerat: ipſum
Molibus & magnis, jactiſque in gurgite pilis,
Extructum mediis portum formaverat undis.
Cujus in extremo ſurgens altiſſima cœlo
Nocte pharos nitidam ſpargebat flammea lucem:
Hinc Megara turres vitreo præcinxerat æſtu,
Et Lucullanos juxta depinxerat hortos.
Ora videbatur peſthinc & Olympis, ad auras
Felices Zephyri, Soliſque cubilia currens.
Atque diem verſa in medium, qua læta ſalubri
Temperie, & molli Tyrrhena Doridos unda eſt.
Collibus ad dextram longe obvallatur apricis,
Et gelidos Boreæ flatus, & frigora neſcit.
Hic nitidas pulchra calaverat arte quadrigas,
In quibus invecti proceres, patreſque togati
Captabant placidas Zephyrorum, & Veſperis auras.
Illius ad finem ſub monte inciſa patebat
Crypta, Dicarcheam via quà deducit ad urbem,
Magnũ opus, & veterũ, ut perhibẽt, monumẽta Pelaſ-
Cujus in ingreſſu dextra de parte ſepulchrum (gum.
Vatis Mantoi, laurumque inſculpſerat. illam
Sponte ferunt tumulo innatam; qua nempè ſuperbi
Præcingi cineres paſſent, Maneſque Maronis.

Hinc

Hinc ſe curvabat medium projectus in æquor
Pauſilypus, ſemperque jugo peramœnus, & unda,
Illius incurvo quæ litore plurima ſurgunt
Magnifico luxu fabricata palatia, & Acti
Fecerat aprico ſub vertice Mergillinam.
Quin etiam querulo meditantem carmina plectro,
Retia dum ſocii ad litus piſcoſa trahebant,
Alta infelicem finxit ſub rupe Lycorem.
Cernere erat liquidis in fluctibus, uda ſecundùm
Litora depictos auro, minioque phaſelos,
In quibus heroes ducebant otia, & auras
Carpebant: reliquum ſterni per litora vulgus.
Pauſilypum juxtà Neſis frondoſa virebat,
Cognita Pellæis & quondam Euplæa carinis.
Inde Dicarcheos nitido cœlaverat ære
Egregia Deus arte ſinus, urbemque Dicarchi.
Deſuper incano fumantem vertice Phlegram,
Vulcanique Forum præcinctum rupe: miniſter
Multus ubi nitrum, ſal, ſulphura viva coquebat.
Vitibus & Gauri juga lata: & valle reposta
Hinc fluctus, Aniane, tuos, tetramque mephitim,
Parte alia Bajas, atque alta cacumina montis
Meſeni, & Baulos, piſcoſaque ſtagna Lucrini.
Non longè Elyſios, & opaca effictor Averna
Fecerat, & Phœbi delubra, adeſque Sibyllæ.
Quin & Romani quæ circum plurima quondam
Venturo monumenta ævo poſuere ſuperbi,
Et vaſtas medio fabricatas gurgite pilas:
Et quotquot varios medicantur balnea morbos.
Cumæ hinc Chalcidicis urbs olim clara colonis,
Tyrrheni propter fluctus, & colle feraci
Impoſita: inque novo pariter ſic ficta metallo.
Inde Pithecuſæ Cumarum ab litore quondam
Ingenti, ut perhibent, motu telluris in altum

Projecta: Prochyte propior, formoſa viretis:
Longior Inarime Baccho latiſſima: cœlo
Ecujus gremio turritus ſurgit Epopeus:
Atque indignantem premit alto monte Typhæum.
Prætereà geminas inſculpſerat æquore claſſes,
Quæ totum, quamvis latum, Cratera replebant
Navibus, & pugnam magno fervore ciebant.
Surgentem ad Solem, quæ pugnatura locarat
Se, bombo ingenti reſonabat, & igne coruſco
Sæpius ardebat: vibrare & fulmina in hoſtes
Crebra videbatur, cœlumque obtexere fumo.
Altera, in occaſum longo ſinuata ſub arcu
Quæ gemino ſeſe cornu tendebat, iniquo
Marte premi, proras & jam torquere refractas:
Fulmine nimirum, nimboque oppreſſa tonanti.
Inque illam & cuneos flammarum ventus agebat.
Preſcius, has claſſes, venturi Mulciber ævi,
Finxerat. Eumenio miranti prælia, & artem
Et jam jam cupido Fatorum arcana tenere.
Sic fatur: Tempus veniet, cum Maurica pubes
Trinacria ſpoliis, palmaque inſignis Ibera,
Invadet Dominam ſignis victricibus urbem:
Et premet obſidio: triplici tùm fœdere gentes
Auxilium Romæ latura in bella coibunt:
Nimirum quæ Parthenopes nova mœnia, & arces
Incoluere, tenent quæ claram pyxide Amalphim,
Quæque tuos, Cajeta, ſinus, portuſque frequentant.
Parthenopæus erit dux claſſis: & ille feroces,
Aſpice Centauro ut vectus, premat ignibus Aſros:
Atque novis totam tormentis undique claſſem
Diſjiciat: quot roſtra volant diffracta per auras,
Quotque rates pelago mergantur, & igniferum ſal
Quot vaſta in mediis incendia ſuſcitet undis.
Et tot victorem populorum, totque ſuperbum

Ocea-

Oceano latè partis, terraque triumphis,
Prædatorem Arabum, atque ingenti classe potentem
Tres tantùm vicere armis socialibus urbes.
Nempè tot Ausonia sunt in certamina vires,
Vnus amor socio cùm gentes fœdere jungit.
Quin etiam, & tempus veniet (sic voluere Parcas
Accepi) quando sola hæc concordia priscum
Restituet decus: Imperium Romanus habebit,
Et leges iterum dabis Orbi Roma subacto.

Vix dum lectitavi, cùm Cardinalis: Imitatus tute etiam es divinum poëtam perquam ingeniosè. laudo equidem, imò gratias ago, quo Campaniam nostram illustrasti, & victoriam illam majorum nostrorum glorioſam sane, & inclytam, sed obscuram, & à multis silentio præteritam, in lucem tam splendidè, tam magnificè protulisti. Versiculi, ut steni in promissis, adeò expoliti, ut non modo meo, sed cujuscumque quantumvis delicati, suffragio ornari possint. quare illud velim, ut opus quamprimùm commune facias. spero enim illud literatis acceptum fore: & jis vel maximè qui stylo facili, & mundo delectantur. Tum ego: Quoniam in summo loco tua est apud me authoritas, omnem operam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in illis perficiendis figam, ac locabo. Et ille: Istuc abs te expecto: precorque Superos, ut ad id commodam dent valetudinem, quam scio hactenus fuisse in causſa, quin adfectum jam opus, & quidem absolutũ numeris omnibus habeamus. Sed age nunc, descendeamus tandem ad oram maris, frigidulis auris animos recreaturi. nulla igitur cunctatione interposita, acceptis mecum libellis eruditis, in scopulum proficiscimur. Stabat ibi phaselus expeditissimus, quo statim conscenso, jussus gabernator in Pollii Felicis s: num proram dirigere. Nos interea, ut solitavimus, libros

eruditos ſublegebamus: nempè ut ipſum otium operoſum eſſet, nec quid temporis excideret ſine lucro. quia verò in Pollii ſinum curſus intendebatur, poſt multa jam lecta, placuit Cardinali, ut Herculem Surrentinum Statii perlegerem. Quæsitum inter lectitandum, quod Herculis templum, quod Neptuni fuiſſet. Cum enim duo inſtructa forent à Pollio, unum in ipſo promontorio Surrentino, alterum ad Occidentem in colle juxta intimi ſinus receſſum, utrum horum Herculi ſacrum fuiſſet, neutiquam præ vetuſtate diſcerni poteſt. Putabam ego illud Herculi conſecratum, quod fuerat in ipſo promontorio. Etenim cum hic ſtagna illa jaceant, quę circum teſtudo ad inſtar caveę ex lateribus inſtructa fuerat, viſiturque id temporis magna ex parte integra, ducebam in ipſo lacu habitam olim fuiſſe in honorem Herculis Naumachiam. contra verò Cardinalis ſentiebat: Sed potius, inquit, hanc in honorem Neptuni celebratam vero ſimilius eſt: quippè qui marinus Deus, & maritimæ villæ cuſtos eſſet. quam ſententiam, ut comprobaret, illud ejuſdem Statii recitavit de Pollii Felicis villa:

Ante domum humida moderator cærulus unda
Excubat, innocui cuſtos laris: hujus amicto
Spumant templa ſale: felicia rura tuetur
Alcides: gaudet gemino ſub numine portus.
Hic ſervat terras, hic ſævis fluctibus obſtat.

Quod ipſum ex eo efficiebat, quia inibi magnæ domus ruinæ conſpicerentur: ante verò domum excubare Neptunum Papinius dixerat.

Hic Cardinalis antiquarum rerum inveſtigator tam acer, ac ſedulus, quam qui maximè, Non faciam, inquit, quin locum perluſtrem, omniaque monumenta villæ, vel in paucis celebertimæ, circumſpiciam. primum igitur in lacum ipſum ingredi conſtituit. in quem

cum

cum phaſelo aditus non pateret, oriam quandam, quę tam prope erat à ſcopulo, accersivimus. hac inſcenſa, per anguſtias pertuſę rupis lacum ſubintravimus. In interiore parte rupis ante ipſum veſtibulum magnus fornix lateritius arcuatus conſpicitur: extatque penè integer. circà verò lacum teſtudo extructa in edito colle, quo lacus præcingitur, ac veluti coronatur. Magna pariter ipſa ex parte uſque extat. viſuntur etiam pilæ, totius operis fundamenta, in aquam jactæ opere teſſellato, ex quadratis partim lateribus, partim verò ex lapidibus item quadris: quo opere ipſa eſt teſtudo, & quidquid hiſce in locis præ ſe vetuſtatem refert. quocirca crediderim è veſtigio lacus ad ſummum uſque collis faſtigium teſtudinem olim fabricatam fuiſſe. in ſtagni medio magna extat pila, in qua olim ſalientem fuiſſe, de qua Statius meminit, non abs re putaverim. Ut ſtagnum omne perluſtravimus, quia ex ipſo ſuperior collis, erat fermè inacceſſibilis, ideircò egreſſi, atque iterum in phaſelum recepti, vicinum promontorium petivimus. In quod poſtquam brevi deventum eſt, illicò in ſcopulos exilivimus: cœpimuſque per aſperos, acutoſque lapides non ſine labore, ac periculo (bis enim ego, fallente veſtigio, relapſus) in pervetuſta villæ monumenta contendere. Poſt multos paſſus lentè admodum peractos, proter viæ ſalebras, ſpeculatoriam in turrim tandem pervenimus. cujus ſpeculator, ut Cardinalem vidit, ſtatim obviam venit. cumque humiliter ſalutaſſet, ſe viæ ducem exhibuit. qui mox, ut qui loci peritus, nos per omnia illa monumenta deduxit. Vidimus igitur plurima teſſellata cubicula, ac fornicata: quorum quædam adhuc viſebantur incruſtata, quadam cœmenti ſpecie, quæ marmore ipſo durior æquè, ac lævior, & ut conjecturam de ſe Cardinalis faciebat, quondam etiam candidior; impræſentia-

rum enim marini aëris injuria obfuſcata. nonnulla pariter depicta variis quà ſignis, quà floſculis: quorum colores adeò nitidi, vividique, ut picturam recentiſſimam diceres. H s per ſingula curioſè, diſtinctèque luſtratis, in collem ſtagno imminentem, in quo cavea inſtructa erat, progreſſi ſumus. Collis, ut ferè omnis vicinus ager, oleis veſtitur: circa verò ruinas ædificiorum fruticetis obſitus, quocircà difficilè iter habet, atque impeditum. perrupimus tamen per medios vel dumos, vel frutices. ſterne bat quippè ſibi viam cupido rerum viſendarum. quæ cum animum occupaverit, nihil admodum tam arduum, ac difficilè eſt, quod non ſuperet. Ut igitur compendio ſingula complectar, circa teſtudinem compluria cubicula ſpectavimus, quorum pleraque diſruptis, collapſiſque fornicibus, humo ab imminente colle prolapſa, penè oppleta erant. videbantur nihilominus incruſtati parietes, in quibus pictarum imaginum veſtigia extabant. Poſtquam autem ſingula perveſtigavimus, quoniam jam nox appetebat, in ſequentem diem cætera diſtulimus.

CAPUT III.

De imitatione quorundam locorum Theocriti, & Virgilii ex III. Georgicorum. qua occaſione mentio fit de Authoris Saberide, cujus exordium recitatur: Mox confertur Crateris ſitus cum Boſphoro Thracio: cæteraque villæ Pollii Felicis monumenta deſcribuntur.

Cùm primùm à meridiano ſomnulo aſſurrexit Cardinalis, me accerſit, rogatque ſi Veſpertinas preces recitaſſem. Cui tum ego: Minimè verò. Et ille: Abſolvamus ſactum hujus diei penſum. Et ego: Præſto ſum,

ſum, simulque è genuali ſcabello, in quo in promptu uſquequaque eſt, codicem accipio. Deinde cœpimus more majorum alternis versiculis, ego lectitando, ille verò recitando (totum enim divinum codicem memoriæ mandatum habet) Veſperarum preces cantitare; quibus abſolutis, Virgineam pſalmodiam, quam pius Præſul quotidiè in tanta, & tam varia negotiorum multitudine Virgini, quasi donarium, offerre non prętermittit, illicò recitare cœpimus. Poſteaverò quam iſtæc ritè peregimus, inter magnam deambulationis feneſtram, & hypæthræ arcum conſedimus. Ne verò tempus obduceremus ſine ullo eruditionis lucro, jubet me Theocritum lectitare. Cum igitur fortuitu librum aperuiſſem, in Idyllium illud offendi, quod inſcribitur αἰπόλος. Jam totum pellegeram, cum ille: Quam bellè poëta noſter multa hujus Idyllii latina fecit ecloga IV. Cui ego: Ità verò: quocircà ipſe de ſe:

Vel qua ſublegi tacitus tibi carmina nuper.

Tum ille: Itera mihi, inquit, illa Theocriti, quæ latinus poëta ſubripuit: poëtam verò ipſum mox. Tum ego, Græcos versiculos ſtatim recitavi: habebam enim illos in memoria.

Τύπρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε, Βόσκε τὰς ἄιγας,
Καὶ ποτὶ τὰν πρέναν ἄγε Τύρρε. Ἐ τὸν ἐνόρχαν
Τον λίβυκὸν κνάκανα φυλάσσεο, μητὺ κορύψη.

Sub hos latinos Virgilii:

Tytire, dum redeo (brevis eſt via) paſce capellas:
Et potum paſtas age Tytire: & inter agendum
Occurſare capro, cornu ferit ille, caveto.

Hoc loco Cardinalis: Mi Parthenie (bona venia poëtæ noſtri dictum ſit) ſuavius, atque elegantius Theocri-

tus. cujus versus viden', ut delicati, ac sonori, omnes præ se Veneres, ac lepores ferant? Cui ego: Admodum. non nego: enim verò est quædam nativa Græci sermonis venustas, & quasi mollitudo verborum, quæ delicatissimam reddit orationem. Tum ille: Sic est. verum pergamus porrò: Noone & illi etiam elegantiores, ac molliores sunt?

Ηνἰ δέποι δέκα μᾶλα Φέρω, τηνῶθε κατείλον
Ω᾽ μ᾽ ἐκέλευ κατελεῖν τὺ Ĉ ἄυριον ἄλλα τοι ὀισῶ.

Quam illi; quibus hosce poëta æmulatus est?

Quod potui, puero sylvestri ex arbore lecta,
Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

De tuis quid dicam? habent & ipsi leporem suum, & digni sanè sunt, ut reciténtur. Cui tum statim ego: Rogo, quæsoque, ut omittas, ne videar inter hos suavissimos olores anser perstrepere. Et ille: subridens statim recitavit.

Num tibi dura, quia agresti munuscula tulit
Nulla tibi misi? misi tamen ipse rubentes
Bissenas de more rosas tibi dia quot annis?
Et meminisse potes: namque hoc cum carmine misi?
Virgo, noster amor, tuus hæc tibi mittit lolas.

Illud verò tunm etiam in hac eadem ecloga.

Est sua conspectu vel inani blanda voluptas.

habet etiam, ut illi lepotem suum: sed dicam candidè, placet magis illud Theocritæum, ex quo accepisti.

Εσἰ Ĉ εν κενεοῖσι φίλαμασι αδέα τέρψις.

Cui tum ego: Fateor etiam ipse. verum enim, ut dicebam, est quoddam linguæ lenocinium, quod aures, quarum judicium, ut ait Quintilianus, superbissimum, inusitata quadam dulcedine afficit, devinciteque sibi. Deinde seposito in mensula Theocrito, Virgilium accepi-

pimus: & quoniam sic illi sedebat in animo III. Georgicorum perlegi. cujus exordium cum absolvissem. Ille: Viden', inquit, ut totum Maroniana Majestate plenum sit? Hunc tu locum imitatus VII. Nauticorum, & quidem, ni amor erga opera tua facit, ut præpostere judicem, non infeliciter. Lectita mihi illud. Tum ego libello deprompto ab armariolo versus illos cantitavi. Quos cum audisset, Placent, inquit, præcipuè illi,

Ergo age, rumpe moras: vocat alto à vertice Pontus,
Induſque, Gangesque, & divitis æquor Erythræ:
Et vocat Hesperio sub Sole Argenteus amnis,
Virginei fontes, auroque insignis Amazon:
Et vox assensu marium ingeminata resultat.
Mox ego victrices accingar dicere palmas,
Æternumque tuum proferre in sæcula nomen.

Sed quid de Saberide illa tua, quam olim juvenili calore aggressus es? absolvesne tandem opus? nam, ut video, lento admodum brachio illud agis. Cui ego: Imò de illo cogitationem omnem deposui: ut enim absolverem, opus esset rem ordiri à capite. id verò nec ætas patitur, nec aliæ curæ permittunt. si quid vacui temporis haberem, potius acquiescerem tuis consiliis, & urbis nostræ historiam scriberem. Tum ille: Id mihi, ac popularibus omnibus esset tam gratum, quam quod gratissimum desideratur quippè omnium studiis, & exciperetur omnibus lubentissimis. idcircò ut ad hanc rem animum applices, inque illa curam omnem, atque operam figas, ac loces, quæso, & si quid apud te authoritate valeo, etiam jubeo. Interea perlege mihi versus aliquid Saberidis. Cui ego: Haud equidem digni sunt, qui audiantur. tum enim vix Musas à limine salutaveram: vix primoribus labris Aganippæos fontes libaveram; quocirca de te conjecturam facere potes, quam lutulenti versus defluxerint, & quam malè dola-

ti. Et ille: Illaborati quantumvis, illos recita. animus mihi eſt videre, qualis vagiens Parthenii Muſa fuerit: nam quidam veſter in illa eleganti elegia sic habet:

Vagituſque tuos Ilias ipſa timet.

Cui tum ego: Verum iſtæc viri amiciſſimi bona verba, & tota poëtica. Et ille: Sed eruditi, acris ingenii, & minimè aſſentantis. Age verò, qualeſcumque sint, certum eſt mihi illos audire. Tum ego: Næ ego audaculus, qui delicatiſſimas aures tuas perquam salebrosis illis versiculis radam. Ille verò: Quid reſtitas? recita: alioqui non omittam te urgere. tergiverſari tuum non eſt. an futuri sint, ut mihi aures obtundant, ipſe viderim. Hic ego tandem, ne immorigeratus viderer erga tantum principem, & benevolentiſſimum mei, quos memineram verſus, in hunc modum recitavi:

Victrices acies, magniſque operoſa triumphis
Arma cano, & clarum partis Heroa trophæis:
Et Gangem Latiis, & adactum legibus Indum,
Et reges Chryſa domitos, iterumque receptis
Seribus, atque Opkyre, toto que Oriente ſubacto,
Fortunata, novos reſeram tibi, Roma, triumphos.
Magnum opus aggredior: perterrita mole laborum
Mens nutat. quis bella novis agitata ſub oris,
Atque armis certata novis? quis grandia tanti
Facta viri, & palmas fuſo ex Acheronte relatas,
Victriceſque poteſt acies æquare canendo?
Magnanimum tu Muſa, ducem, tuque inclyta facta,
Tuque acies, actoſque animis in funera Manes,
Atque triumphatas utroque ab litore gentes,
Et plauſus memora, & gemina decora inclyta palmæ.
Primus ad Eoas, qui vaſta per æquora terras
Tot Lojolæas acies, victriciaque arma
Invexit, ſtygio dicturus bella tyranno.
Dic quoque quantum ille, & terris jactatus, & undis

Vi

Vi Stygis, & ſævi memorem Plutonis obiram.
Et quanta eſt bello paſſus dum litore in Indo
Romulidum ritus, & ſacras poneret aras,
Inferretque Deum Thetidos gemmantis in oras:
Et quos extorres aſtris, cœloque paterno
Avertit longè, nigriſque involuit Avernis
Dira ſuperſtitio Eoos luſtralibus undis
Elueret populos, ſuperoque aſciret Olympo.

Hic ille: Vagientis quidem Muſæ, ſed quæ ætatem præcucurrit, & cujus præcox ingenium. Verum age ad Bellica sis animum, ac ſermonem transferamus: Faciesne idem in illis, quod in Nautis æque, ac in Halieuticis præſtitiſti? videtur enim mihi Divo tuo bellicoſo illuſtre quoddam donarium, & ut Græci dicunt ἀνάθημα in illis figi poſſe, ac veluti ſuſpendi ad aram. Cui tum ego: Divinaſti. ità enim factum eſt. neque id ſanè à me prætetiri potuiſſet. etenim abſurdum erat in parentem amantiſſimum in me officium desiderari. Ille verò: Fac, ſodes, audiam. levabunt profectò calidiſſimi hujuſce diei tædium verſus tui. nam etsi mihi flabello ventulum sic faciam, tamen præ æſtu penè emorior Tum ego: Æſtuoſus ſanè dies, neque in tota hac æſtate ferventiorem ſensi: feneſtram iſtam ſolent fermè ſemper auræ quamquam leviſſimæ perflare, quæ quidem nunc silent omninò; ut ne vel in ſummis arborum frondibus perpauciſſimæ admodum ludant. ſed recitabo jam verſus, ut calores leves; quippè illi tantum frigus ſunt. Hic ille: Spargiſne tu ſales? Cui ego: Jocandum interdum, ut feria, agas; ut rectè Anacharsis. mox accepto Bellicorum IX. verſus ad hunc modum geſticulando cantillavi:

Tu pariter vati grandem mentemque, animumque,
Lojola, inſpira, Divus Pater, inque repoſtum
Caſtalidum penetrare nemus, Cyrrhæque receſſus:

Et

Et ſine Parnaſſi niveo per culmina ferri
Subvectum curru, fonteſque haurire beatos
Pieridum, ſacro poſſit quo percitus œſtro
Belligeras animare tubas, & Martia bella
Dicere: pulſa quibus nemoroſa cacumina Pindi
Bella ſonent, totuſque Helicon clamore reſultet:
Horrida & imbelles accendant prælia Muſæ.
Forſitan heroam ſi myrto adnectere laurum
Arbitrio populi liceat, plauſuque theatri,
Tùm te, Dive canam: toto tunc ore ſonandum.
Et tua Mantoa clariſſima geſta per Orbem
Conabor proferre tuba. te Seres, & Indi,
Te ſimul Ammerici, & gemino gens ſi qua ſub axe
Reſtat adhuc ignota, ſacris te numen in aris
Imponet venerata: tuos cantabit honores:
Et ſupplex tibi vota feret, precibuſque vocabit.
Interea juvat inſtructo duo marmora templo
Figere, primitias belli tibi, Dive, futura.
Hinc, atque hinc: medio fulgens ſpirabis in auro.
Ipſe laborato, radiiſque incinctus, & oſtro,
Qualis in aſtrigero conſidis victor Olympo.
Sub pedibuſque undas, & terras arduus omnes
Deſpectat. parioque inſculpam talia ſaxo.
Et primùm læva, quod fani in parte locabo,
Vulnere te glandis fractum, thalamoque jacentem
Incidam, & palmas Divorum, & facta legentem.
Adjiciam ſummo viſum de culmine cœlum
Expandi, nitidiſque chorum deſcendere pennis
Aligerum: quos inter erat dux primus Olympi.
Claudere cui terris cœlum, & reſerare poteſtas.
Illum ſyderio depingam rore medentem
Saucia crura: novoi & dio flamine ſenſus
Infundentem animis. Dubia ſub luce colorum
Præruptos faciam montes, & vertice templum

Vir-

Virginis: inque genu te pronum, aramque tenentem,
Et galeam, ſcutumque Dea, gladiumque ſacrantem:
Spes & Fortuna ingentes, tituloſque ſuperbos.
Non procul incurva ſub rupe inſculptus in antro
Squallenti barba, vilique induitus amictu
Atque fame, & nimio ſtabis vexatus ab æſtu,
Frigoreque, & rigidis diſciſſus terga flagellis.
Dura rudimenta: at ſacri felicia belli
Principia: hinc lauri centum, palmaque relata;
Hinc illa egregii fluxit ſeges ampla triumphi.
Marmore, quæ ſignis dextro ſpirantibus addam.
Hic te delectos cogentem ad ſigna maniplos,
Militiaque nova leges, & prima locantem
Fundamenta, ſacer terris quo creſceret ordo
Excidium extremum vitiis laturus, & Orco,
Verum pacato Saturnia ſecula mundo.
Præclaros ſculpam Heroas te patre creatos:
Saberiden cladem Stygium, Ditique tremendum
Borgiaden, geminos hunc juxta plurimus arte
Appingam juvenes, quos lilia cana coronant.
Quos & olorinis trananteſ æra pennis,
Puraque membra, nivis ritu canentia pingam.
Pone ſequens rutilo fulgens Antonius oſtro.
Ibit ovans: ſocium cui ſe Mavortius addet
Marcellus, patria miſſus Sirenis ab ora,
Trans magnum Oceanum, primique cubilia Solis,
Seras ad extremos, & Iaponis ultima regna.
Ibit & ille, ſuo qui te cognomine reddet,
Agmine laurigero Heroum ſtipatus ovantum.
Et tu, quem comitem mox ſunt habitura Deorum
Concilia, immixtus tantis Heroibus ibis,
Carole: teque chorus lauro comitabitur ingens.
Ibitis & terno conjuncti fœdere, vos ô
Primitias Latio Patri quos mittit Iapon.

Atque alii; parvo ſi fas concludere ſaxo
Tot magnas Heroum animas, qui vulnera paſſi
Pro re Romulea, ſignis meruere beatis
Aſcribi: & ſacri quotquot docuere magiſtri
Romanos gentes ritus, legeſque ſacrorum.
Non tamen inſignes ſaxo ſuperaddere palmas
Preteream, magnarum & tot miracula rerum.
Hic miris elementa modis parere fugatis
Æquora nimirum pacari, atque aëra nimbis.
Stare amnes, trepidare ſinum Telluris, & ignem
Nunc pronum obſequio flammarum, & luce coruſca;
Impete nunc preſſo in rares abiiſſe tenebras.
Atque gelu: , friguſque ſuum domuiſſe vigorem:
Devicta aſque acies morborum, & peſtiferam vim.
His addam è tumulis educta cadavera, Mortemque
Horribilem indomitam, formidandamque ſubactam.
Illic Eumenides diſciſſo crine jacentes,
Atque triumphatum Stygia cum gente tyrannum
Tetrum, indignantem, flammaſque ex ore vomentem
Attonitumque vadis Phlegethonta hærere reflexis,
Inſculpam: geminoque hæc ſcribam carmina ſaxo.
De Mundo, & Luxu, victoque Acheronte trophæa
Parthenia hæc Patri magno poſuere Camœna.
Hæc tibi nunc templo figam donaria: campum
Tu jam miles adi, mecumque accende canoro
Ære animos: ducibuſque prei bellator in arma.
Iam fera bella ſonant Capitolia: jamque bifrontis
Fana Dei reſerantur: & alto à vertice totis
Montibus aſſurgunt Alpes clamore ſecundo;
Tyrrhenaque fremunt pulſata claſſibus unda.
Reſponſant longè cava litora, & arma reclamant
Pulſati colles, & totus detonat æther.

Simul ac primùm cantui finem impoſui, ſtatim Cardinalis: Donarium, inquit, insigne porrò, ac ſplendi-

di-

didum, Divoque tuo non indignum. quo certè quidem auſpicatiſſimum feciſti libri exordium. ſed deſcendamus tandem ad undas: me ſummoperè delectat mare: ſubindè famulum rogat, ſi phaſelus venerat. Et ille: Jam venit. eſtque expeditiſſimus. aſſurreximus igitur illicò: perque pomarium, & pensilem ponticulum perpauculis paſſibus ad mare pervenimus. exin phaſelum ingreſſi ad luſtranda reliqua monumenta villæ Pollii Felicis proficiſcimur.

Interea, dum totum penè Crateris ambitum præ oculis haberemus, atque illius tum amœnitatem, tum pulchritudinem obtutu, atque animo complecteremur: Putaſne, inquit, Cardinalis eſſe in toto terrarum Orbe locum vel pulchriorem, vel amœniorem Cratere hoc noſtro? Cui ego: Ajo enim verò. Et ille: An fortè Boſphorus Thracius is eſt? Et ego: Ita verò. Tum ille: Sed quam viam inibis, ut id mihi perſuadeas? Et ego: Talis eſt Byzantii ſitus, ut neſcio quid amplius videatur illi natura conceſſiſſe. Siquidem duæ ſunt in conſpectu partes Orbis terrarum, quæ nonnisi anguſto aquarum divortio ſeparantur. Sedet in angulo Thraciæ terræ, velut in ſpecula Universi ſeptem complexa colles vaſtiſſimo CXI. ſtadiorum ambitu nova Roma. idcircò inter duos Orbes poſita, ut in utrumque facilem haberet excurſum, ac ſua jura proferret. Et jam MCCC exacti admodum anni ſunt, ex quo Domina gentium, & regina eſt Orbis terrarum. tot verò referta populorum, tot frequens commerciis, ut incredibile cuique ſit. Quippè perpetuò videre licet per Helleſpontum, & Boſphorum innumeras propemodum naves, dicam rectius claſſes integras, quarum quædam ex Europa, quædam verò ex Aſia, quædam etiam ex Africa ultrò, citròque commeant, ac commercia jungunt quam longiſſimè venientium populorum. quæ quidem com-

commercia mirificè fovet, ac promovet vastissimus juxta, ac tutissimus portus, qui urbem ab Oriente alluit, & cui vel opportunitate, vel situ ampliſſimo nihil admodum est, quod accedat. tot verò, tantisque navigiis continuò pervius, ut maritimam diceres urbem fluctibus innatantem. Hinc verò laxitas Propontidis patet, illinc in angustum coarctat se Bosphorus. contra verò trans portum Pera est, vastissimæ urbis appendix ampliſſima. è conspectu autem in Asia Calcedonia respondet: nec longè plurimo turritus vertice Olympus assurgit, qui tum positu suo, tum suis viridans sylvis amœniſſimum exhibet prospectum. Hac, illac per universum Bosphori tractum, (ni flexuosas angustias, parvaque naturæ repugnantis intervalla dicere mavis) placidiſſimi sinus sunt; & quammaximè hospitales. molles, atque herbidi scopuli, & perquam piscosi: exporrectæ hac, illac lingulæ, veluti è gemino terrarum Orbe occurrantes sibi, & per mutua oscula amplexantes. Cum in medio utriusque Bosphori fueris prensare manibus geminos Orbes videris, transitu vel bobus meabili: unde nomen ambobus, & tanquam in dissociatione germanitas concors. accedit vel ea voluptas, quæ tam grata est, quam quæ maximè; nimirum audire alituum cantus, canum latratus, atque humanæ vocis inter duos Orbes commercia: videre item maria ultrò, citròque meante fluctu, perpetuò variantia, atque omnis generis piscium fœcundiſſima. Per Bosphorum enim ab Euxino in Ægæum meant, ac remeant innumeri penè piscium greges: qui hiemem in Ponto, æstatem apud nos traducere consueverunt. quales sunt Thynni, & Pelamides, Ziphiæ item, atque Delphines, aliique non pauci, qui inter æstus fluentis, refluentisque pelagi cursant, recursantque, placidiſſimèque lasciventes, quasi choros ducunt, ludosque concelebrant. Hic

Car-

Cardinalis: Assentior prorsus. effecisti enim, ut mirabile illud naturæ ludentis opus quasi oculis contemplarer, at si præsens essem voluptatem etiam percipe-rem. Verum enim non negabis nimirum mihi quantum ille natura antecellit, tantundem Craterem hunc nostrum ab arte, atque industria illo superiorem esse: saltem hac ætate, quà minus à barbaris exornatus (credo enim Romanorum Cæsarum tempore fuisse ornatissimum) imò potius Scythica feritate, dejectis veterum monumentis, miserabilem in modum deturpatus. Hic verò sinus totus ferè quantus est, tot urbibus, oppidis, villis, atque ædificiis coronatur, ut una urbs perquam amplissima videatur. in hujuscemodi verò corona, pretiosissimam quasi gemmam Neapolim habet: quæ vel situ, vel ædificiis quà privatis, quà publicis longè Byzantium exsuperat. Tum ego: Ità verò: neque id me latebat; atque istuc jam jam iturus eram. in hoc enim ipso sententiæ omnium consenserunt, quotquot utrumque artificis naturæ opus quammaximè admirandum contemplati fuerunt.

Sub hæc superato promontorio, in Pollii sinum ingredimur. quem ab ipso vestibulo curiosè cœpimus circumlustrare. Imprimis ipso in flexu promontorii breviſſimum sinum, stagnum diceres, offendimus. illum olim undique conclusum fuisse, & scopuli, & pilæ circa os ejus objecta indicio sunt manifestissimo. quin etiam fuisse ibidem vivaria, vel ipsa loquuntur rudera. Exin verò sinus Orientale latus, quà scopulis, quà rupibus prætextum, circuivimus. in quo pauca admodum veterum monumentorum vestigia deprehendimus. quod, ut primum superavimus, in ipsam sinus oram spatiosam, & commodam, in qua geminæ id temporis visuntur tabernæ, descendimus. illam lento quidem gradu ob arenam, usque ad alterum Occidentale latus, & ipsum

ſum ſcopulis, & rupibus aſperum, tum animi gratia, tum vetera perluſtrandi deſiderio peragravimus. Deinde conſcenſo iterum phaſelo, latus ipſum, cautes propter amœniſſimas pereurrere inſtituimus. Hic in ſeceſſu præceſæ rupis, quæ, reducto in ſeſe gremio, placidiſſimum ſinum efficit, ingens arcus fornicatus apparet, qui præſe ſpeciem ſacelli refert: atque id ipſum ſparſa hac, illac rudera manifeſtò atteſtantur. ſinus qui, ut modo dicebam, reductis rupibus curvatur; atque idcircò à ventorum debachantium furore ſecurus, & hieme commodus navibus, & æſtate quà umbra, quà placiditate maris, quà viriditate arborum, eſt amœna amœnitate amœniſſimus. in ipſo pilæ quamplurimæ, quibus olim magnam ædificii molem ſuperinnixam fuiſſe facilè inducor, ut credam. iſtæc verò omnia inſpiciens, & diligenter exquirens: Nonne hic, inquam, Neptuni templum olim fuiſſe verosimilius videtur? quippè ruinæ vel ipſæ ad id ſentiendum inducunt: & illud vel maximè, quod sic amico conſpergi ſale, ut ait poëta, facilè potuiſſet. Tum Cardinalis: His haud quaquam aſſentior: nulla quippè hic inædificatę domus veſtigia: nec certè quidem in loco tam aſpero, adituque difficili fuiſſe unquam probabile eſt. Quin potius crediderim hic in ſuperiore colle Herculis templum extitiſſe. iſtud verò, ſpecum quandam fuiſſe, ex qua per ipsius rupis inciſæ gremium in ſuperna, templumque ipſum aſcenſus eſſet: & qua æſtate oblectationis gratia immorari Pollius potuiſſet. quare in ipſam rupem aſcendamus; inveniemus fortaſſe veſtigium aliquod Herculei fani, quod in colle poſitum dicit Papinius. Cui tum ego: Nihil mihi potius eſt, quam tibi obtemperare: at quoniam hac ne capreis quidem iter, in æquiorem illum locum nos corripiamus. Et ille: Rectè admones. in illum igitur gradum inferimus. ex

quo

quo, modò erecti ambulantes, modò quasi repentes, post implexos, implicatosque calles, ex quibus vix nos extricavimus, tandem in collem ruderibus, quæ pronuper eràmus contemplati, imminentem, summo labore conatisi evasimus. hunc igitur collem, ubi olim erectum Herculis fanum fuisse Cardinalis non levibus conjecturis affirmabat, perquisitè investigaremus, rudera compluria pervetustæ fabricæ, quæ, ut ipsamet rudera de se indicio erant, ingens olim fuisse videbatur, parietinis partim obruta, partim verò fruticetis obsita animadvertimus. quocirca Cardinalis fossorem, qui non procul in suo ruisculo terram versabat, accersiri jussit; effodique humum juxta ruinas illas ruderum antiquorum. in eam enim spem venerat, nimirum fore, ut vel monumentũ aliquod insigne, vel numisma Cæsarum reperiretur. Verum cum diù fossor insudasset, nihil omninò præter pilas, ac fundamenta in rupe jacta, deprehensum est. Hoc loco paganus admonet esse tam propè à suo ruisculo subterraneas quasdam fabricas & miras oppidò: ibique haud dubiè illustre quid monumenti, aut numisma comperi posse. quocirca visum est non absre futurum, si illùc concederemus. nihil igitur cunctati, in indicatum à pagano locum grandi gradu perreximus, qui simul, atque nos accepit, per humile ostium, quippè oppletum humo usquequaque relabente, in fabricas intramus. erant autem perquam amplissimæ cisternæ, quarum aliquæ adhùc integræ visebantur, aliquæ verò vitium jam fecerant: longoque ordine ædificatæ: èq; singulis in singulas patebat excursus, ut in omnes intromitti aqua potuisset. illas extructas à Pollio ad continendam aquam, cujus indigus collis est, rectè Cardinalis opinabatur. quod verò nobis admirabile ominò visum est, vastissimi erant fornices, adeò solidi, & tanta vel arte, vel industria fabrica-

ti,ut immenſos penè cumulos ex aggeſta ſensim terra enatos, arboteſque vaſtiſſimas inibi plantatas ſubſtentatent. Hujuſcemodi ciſternæ quamplurimæ non procul à Surrenti pomærio in Veſpasianorum fundo, magna ſpectantium admiratione conſpiciuntur. Romanum opus in quo cum arte certaſſe magnificentia viſa eſt. ingentes quippè, & insigni opere, elaboratæ. quo in genere,juxta ac in reliquis nulla gens Romanos neæquavit quidem, nedum ſuperavit. quæ quidem poſt tot ſecula integræ omninò uſque manent, incumbenteſque dorſo immenſos truncos ſubſtinent, ut penſiles Semiramidis hortos meritiſſimò diceres. Servatur in his aqua publica, quæ ex Surrentinis collibus, è quibus ſcatet frigidiſſima, per longos canales teſtaceos in illas infunditur. Poſteaverò quam ſingula curiosè inſpeximus,ad litus tandem deſcendimus, per æquiorem collem, & minus impeditum, quà nos paganus ille deduxerat.quo non ſine mercede dimiſſo,phaſelum conſcendimus: inque Surrentinum dirigi curſum gubernator juſſus eſt. jam jam enim nox diem adimebat.

CAPUT IV.

Occaſione perridiculæ fabellæ, feſtiva quædam de putato ſpectro narratur hiſtoriola.

Cùm eſſet apud me Taurinus Juvenis, veſpere ejus diei,qui Virginis triumpho insignitus eſt, à frugi cœnula, perpaucnlis admodum verbis animi gratia factis,cubitum omnes abivimus: & utqui longa deambulatione defatigati, ſtatim condormivimus. Lucernam verò puer oblitus extinguere, in culina accenſam reliquerat, non mulìò antè conticinium pulſari tintinnabulum ſubaudio: & quia homo ſum levi ſomnus dere-

pen-

pentè expergiſcor. hærebam tamen animis, datuſne revera ſonus, an eſſem fortè ſomniatus. autes igitur arrigo, & ſuſpenſas teneo, ut clarius ſtrepitum, ſi fieret iterum, exciperem. cum illicò reſonare tintinnabulum audio manifeſtiſſimè. quare ilicet aſſurgo, injectaque raptim veſte, ad januam tacitus accedo: eductoque peſſulo, foremperpauxillum aperio placide, nec crepo; atque ad limen parumper ſubsiſto: mox animosior foribus gradum effero. Cùm ecce tibi ex proximo cubiculo Taurinus adoleſcens timens, tremens, ac penè ſemimortuus præ formidine. cui ſtatim ego ſubmiſſa admodum voce, Quid trepidas? inquam. Tum ille: Perivimus miſeri. Ego verò: Adeone cito? Et ille: Numquid non audiſti tintinnabulum? Tum ipſe: Audivi enimverò: & quidem ſemel, atque iterum. At ille: Totus metu madeo: timeo enim oppidò, ne malus quidam genius domum obſederit. Cui tum ego: Mitte, quæſo, timorem iſtum: nunquam enim hucuſque noſtra hac in domo vel viſi, vel audiri Cacadæmones. ego plus certò à furibus timeo. nam ut ſcis, nudiustertius in tectum agricolæ inſilientes ſcalis geſtatoriis, quas ille ad proximas arbores applicaverat, cuncta ferè lintea, quæ cineraria expurgatione mundata ad Solem siccanda expoſuerat, nec præ oblivione ſub veſperam collegerat, ſuffurati ſunt. Tum ille: Si clandeſtini latrones eſſent, neutiquam pulſaſſent crepitaculum, nè fortè ſtultiſſimi hominum vellent ſe manifeſto indicio prodere. Cui ego: Vera prædicas. ſed fortaſſe caſu factum eſt. Et ille: Non certè sic in animum induco. haud equidem caſu fit, quod cadit ſæpè. Cùm verò mox ſenſim ſuſpenſo gradu, & vix primoribus digitis ſignantes veſtigia, ad flexum uſque deambulationis progreſſi eſſemus, ſtatim Sylvium obviam venientem conſpicimus, qui vix dum nos vidit, cum, Audiſtis, inquit, clangorem tin-

tinnabuli? Cui tum ego: Maximè: atque ideircò assurreximus. hic timet Cacodæmones, ego verò latrunculos. Sub hæc lumen in culina animadverto, quare ad Sylvium: Quodnam lumen est illud? Ille verò: Nescio equidem. At adolescens: Timeo nimirum, ne ibi malus sit genius. Interea loci dum hæc diceret, illicò audimus & crepitaculum tesonare vel maximè, & felem altius ejulare post crepitum, quasi ex alto cecidisset. Tum statim Juvenis jam penè enectus præ timore: Perii omninò. Tum ego: Visne aquam? Ille verò: Mitte nuces. haud equidem jocandi tempus, quando lustrali opus esset. audin' ut felis personam mentitus non territat simul, & illudit Cacodæmon? capessamus nos hinc, quæso, in sacellum. At Sylvius: Ah, ah, ah, vah, felis, felis est, jam memini, quæ vitulam tintinnabuli funiculo appensam furari adnisa est. Cui ego: Et quis ille fuit asinus, qui tintinnabulo vitulam suspendit? Ille: Ego ipse. Tum ego? Bellè tu quidem: nempè ut dormientes excitares, ac perterrefaceres. deerat fortasse paxillus? At Sylvius: Cum voracissima felis semel, iterum, ac sæpius modò pisces, modò carnem devoraverit clanculum, locum illum futurum ab illa tutissimum putavi. neutiquam enim credidissem tam altè unquam exilire potuisse. imò, si fortè insiluisset, exaudiendum fore tum crepitum tintinnabuli. felem illam dii omnes perdant. At ego: De fele ipse videris, ego de vitula sum sollicitus. accepto igitur lumine ad locum pergimus, videmusque discissum vi funiculum, felemque una cum carne diffugisse. Hic juvenis, cujus in animo hærebat usque præconcepta suspicio, Aspersisti aquam, inquit. nunc paulum exoriet: nam penè pericram præ formidine. malè sit feli, malè sit agricolæ, qui illam alit nostris jacturis. Cui ego: Verum hæ imprecationes nobis vitulam non reddent. illa, ut mea

fert

fert opinio, in villici casam se recepit cum præda: concipiamus igitur furtum, veteri more, lance, & licio. Ac Juvenis: de vitula conclamatum. Verum Sylvius: Minimè, inquit, eamus illicò in hypethram: ibi illam alias cum furto deprehendi. nil igitur cunctati, in subdialem ambulationem irrumpimus. furemque inibi se præda saginantem illicò invenimus. ille, relicta præda, in hortum derepentè desilivit, nos vitulam penè intactam læti recepimus.

Postea verò quam è subdivo intra tectum redivimus, ego: Quoniam, inquam, hic cadit bellissime, audite, quæso, fabulam tam festivam, quam quæ maximè. narrabo illam quam libentèr, ut hujusce juvenis, qui meticulosus vel maximè, animum perpauculum exhilarem, contractamque spectrorum recordatione frontem, expliceм. Tum ille: Quæso, ut facias; ità enim fiet, ut læti, ac festivi cubitum concedamus. Sylvius verò: Audiam & ego non modo patienti, sed volenti animo. licet enim tantisper immorari, dum redeat somnus. quinimò læto, & placato cum sis animo, facilè somnum concilias: minimè vero tristi, & perturbato. Tum ipse: Ausculate modò: est enim operæ auribus percipere, adeò ridicula auditu est. Stabiis degebat adolescens quidam non illiberalis, & ut ferebat ætas non mediocriter eruditus. verùm temperamento melancholicus, & suopte ingenio perquam meticulosus. eòque insaniæ pervenerat, ut cujusquemodi noctu strepitum sive casu, sive consilio domi excitatum, illicò à Cacodæmone suspicabatur. quantulamcumque umbram vidisset, aut videre sibi visus esset (quod in hujusce modi hominibus fermè fit) statim spectrum arbitrabatur. Quare frequentissimè tum apud præsidem, tum cæteros collegas conquerebatur, omnem circa suum cubiculum viciniam obsideri, terris-

que geniis obnoxiam esse. Illi juvenis timiditatem, timiditatem autem? imò dementiam, quà risu, quà facetiis partim coarguebãt, partim deridebant. atque hoc modo se quotidiè deridẽdum propinabat. Accidit fortè fortuna, ut nocte quadam intempesta, cum omnes cubitum concesserant, vento repentè excitato, concuterentur vehementius postes ex adverso cubiculi unius cujusdam è sociis, apertæ, somnumque interturbabant. ille cum diutiusculè fragorem toleraſſet, tandem impatiens, lecto exilit (interrumpi enim somnum tam acerbum cubantibus est, quam quod acerbissimum) utque erat una amictus subucula egreditur: strepentesque à vento fores quantocyus occludit. Atqui redire mox in cubiculum cum vellet, perturbata statim mente, sibi in manibus non est. anceps igitur animi hæret, fluctuat, nec satis tenet, quorsum ad suas fores redeundum sit: dextrorsumne, an sinistrorsum; nec consilii locum habet, nec copiam auxilii. dum sic incertus animi pendet, inque uno indusio tremit à frigore, tamentem subit cogitatio, singulas nimirum sociorum foriculas prætentare, quoadusque in patentes offendat. secum enim argumentabatur hoc modo: Cæterorum fores oppessulatæ cum sint, quas ergo patere præsensero, meæ erunt haud dubiè. Hic me juvenis sic interpellat: Nonne lucernæ lumine, quam accensam noctu in unaquaque deambulatione habere consueverunt, suum ille cubiculum poterat recognoscere? Cui tum ego: Fortassis illam ventus extinxerat, vel, ut sæpè sæpius usuvenit, ignaviſſimus minister aut novum oleum non infuderat, aut ellychnium non eminxerat. Tum juvenis: Vera prædicas. experimento quippè doctus sum quam supina sit ministrorum ignavia. Sed perge porrò: res enim, ut conjicio, erit festiviſſima. Cui ego: Contendam efficere, quod instituì, filumque fabulæ.

læ iterum ordior hoc modo. Ille poſt excogitatum ſalutare, ut putabat conſilium, deambulationis parieti innixus, ſingulas manibus, ut cæcis mos eſt, fores prætentat: & quidem leviter, ne ſocios excitaret, tandem cum deprehendiſſet bibliothecæ fores præfecti negligentia apertas patere, illicò gradum infert, januamque occludit, utqui præ frigore penè obrigueràt. Sed quid? vix dum pedem intulit, crepitumque ferè exaudivit (erat enim ex illis, quæ, laxato arcu, ultrò ſeſe obfirmant: vulgus à ſimilitudine baliſtas vocat) cum ſe ille falſum animadvertit, inque jocularium malum inſcientem penè incidiſſe. Hic Taurinus: Væ miſero! ingens quippè cui infortunium ceciderat, non pauca admodum, opinor, in bibliothecarium jeciſſe maledicta. Cui tum ego: Rectè conjectas. tantam enim iram concepit, ut illi dira omnia comprecaretur. Cùm igitur obfirmatum oſtium per ſe reſerare non poſſet, pulſare cœpit identidem. Obaudivit ſtrepitum pavidiſſimus adoleſcens, ac ſpectrum de more ſuſpicans tremit totus, horret, ſudat, ac penè emoritur. Hoc loco Sylvius: Hinc, inquit, fabulæ feſtivior actus incipiet. Cui ego: Ità enimverò. auſculta modò. Facto mox utut tantiſper animo, aſſurgit, acceptaque ab amula, quam ad limen januæ propter genuale ſcabellum, appenſam habere mos eſt, luſtrali aqua, ſe illa aſpergit, Crucis ſignum imprimens, munitque adverſus Cacodæmonem. Superos hinc precatur, ut rem benè vertant: bonumque in primis genium, ut malum, quicum ei odium internecinum, fuget illicò, trudatque in Tartara. Deinceps confirmato his precibus animo, ad fores accedit, gradu adeò ſuſpenſo, ut vix in arena veſtigium reliquiſſet: pertimeſcebat quippè umbram ſuam, & quemcumque ipſemet ſtrepitum edidiſſet. ſic porrò aurem arrigens rimis admovet, ut faciunt lepores, cum venantium ſtrepi-

pi-

pitum præſentiſcunt. ibique ſuſpenſam tenet, ac trepidam, ſi fortè rumorem exciperet, & cujuſmodi eſſet diſcerneret: & ſi commodè daretur, erumperet. mox verò paulatim fores aperit, extraque exporrigit auriculam, attentoque hæret animo. ubi verò ſonitum audivit iterum, extemplò exilit: rectàque ad præſidem convolat: illiuſque fores iterum, iterumque pulſat, at penè diffringit. ille enim, ut accidit nocte concubia, & ante gallicinium indormiebat altiſſimè: quin etiam erat natura graviſomnus. Tandem exporrectus, Quis foribus, inquit, tam protervè injuriam facit? Ille verò unus è ſociis. Tum præſes raptim injecta veſte, fores aperit. viſoque juvene, quod erat, ſtatim ſuſpicatus, ità, non ſine ſtomacho vehementer objurgat: Iſtuc nempè decerat, quo inſaniæ tuæ inſigne dares argumentum, ut perridiculis iſtiuſmodi ſpectris, quæ tute tibi ad libidinem fingis, ſomnũ nobis, & quietem exturbares? adeone miſer inſanuiſti, ut extimeſceres umbram tuam? quoties te admonui hujuſcemodi viſa nihil admodum eſſe niſi nebulas in tua mente à temetipſo depictas? omitte tandem imagines iſtas, quæ reapſe nihil ſunt, & ſi tibi inſanienti ſpeciẽ offerant, quà perditus inſanias, abito hinc, & dormi. Ille verò ad pedes ejus accidens hominẽ etiam, atque etiam rogat, atque obſecrat, ut ſecum ad locum malo genio obſeſſum ſe conferat, fieri ſic facilè poſſe, ut teſtis ipſe, ſuiſmet oculis videat, ſuis auribus audiat, ſuis etiam manibus palpet, quod minimè inducebatur, ut crederet. ſic comprehenſa ſemel rei veritate, ſibi parceret in poſterum, omnique moleſtia liberaret. Tum præſes: Næ ego ſtultus, qui deliriis iſtis fidem præſtem. At juvenis urget iterum, perque Superos omnes obteſtatur, ut exiguum illum laborem ſumeret, quo, ſi nihil aliud, ſe certè ſiniſtra illa opinione levaret. His tandem præſes victus precibus, tactuſque mi-

miſeratione juvenis, unà cum illo ad locum pergit, in quo eſſe malus genius credebatur. Vix propius acceſſit, cum ſtatim crepitū audivit, quo audito, illicò ſubſtitit. Deinde ut audivit iterum, pedem refert: & simul ipſe incipit extimeſcere. poſtquam verò tantiſper hæsit deliberans, tandem in juvenis ſententiā deſcendit. nempè facilè credimus, ubi ſuſpicio præcurrit. Jubet igitur excitari reliquos ſocios; eoſque de ſpectro certiores fieri. mox comparari ea, quæ more majorum adhiberi ſolent ad Dæmonem adjurandum.

Poſtea verò quā cuncti convenerunt experrecti jam ſocii, rem à præside diſcunt: credunt & ipsi, quod fabulam ante putaverant. uſque adeò facilè perſuadetur error, ut auctores habere cœpit. Hinc ad locum eunt cum Cruce, funalibus accensis, aqua piaculari, & jis omnibus, quæ in re tali uſui eſſe conſueverunt. Hic Taurinus sic interpellat: Ridicula ſanè res: uſque adeò nihil omninò eſt, quod interdum non cadat. ſed pergo porrò: expecto avidiſſimè fabulæ cataſtrophen. Tum ego: Atque jam præſes cum ſalutari signo, funalibus cereis, vaſculoque luſtralis aquæ cum ſuo aſpergillo ad locum acceſſerat. certi omnes bibliothecam occupaſſe literatum Cacodæmonem. Principio præſes accepta luſtrica aquam funditat, crucemque signat adverſum genium illum, jam opinione teterrimum. ille verò futurus; jam jam gemina calamitate miſer, ut lumen tam propè admotum aſpexit, timens nè linteatus deprehēderetur à ſociis, quippè qui verecundus: Tollite hinc, atque amovete lumen, exclamat. verum voce adeò immutata, & fracta cum propter frigus quò algebat, tum propter ruborem, quem futurum timebat, ut neutiquam ab illa cognoſci potuerit. imò illi jam sibi perſuaſum habebant animo eum unum eſſe ex deſertoribus ſpiritibus. quocirca inſultant, atque exprobant,

ac maledictis proscindunt. Pessima inquiunt bestia, omniumque nequissima, jam intelligimus ex quo stabulo sis, & ex qua sentina emerseris. nempè odisti lucem. emigrandum tibi profectò hinc est; inque Orcum meritò ob tua scelera tibi debitum faccessendum: nulla tibi cum religiosis hominibus res est. Erumpe quantocyus, abscede jam, pete inferos bellua teterrima, istæ autem jactantes loco propinguabant. At ille lucem tam propè conspiciens, contentiori voce conatur amoliri. Auferte, inquit, quæso, lumen. non ego, malus aliquis sum genius, sed ex vobis unus, hic fortuitò inclusus. Hi verò: Næ nos insani, qui credamus tibi, cujus est mentiri. Atque hic jam exorcismum ritè auspicabantur. Ille vero: Satisne sani estis, qui tam perversè illuditis. numnam vos cupido incessit agere Saturnalia? aut vos saniorem mentem exuistis, aut ego quidem somnior. Hoc loco illi facti metu spectri animosiores clave ostium aperiunt: & præter omnium expectationem, non minus frigore, quam rubore trementem, & frustrà à se dedecus amoliri conantem, socium deprehendunt. & quæ tragedia cœperat, in comœdiam tandem desiit, quanto risu, narrare non est operæ pretium. Hæc cum dixissem, læti iterum, atque hilares cubitum concessimus.

CAPUT V.

Esurialis diei prandium adornatur: cujus occasione quo modo varia piscium edulia præparentur, scitèque condiantur, exponitur. quæsitum mox qui montes essent ignivomi. tandem prandium & festivè, & frugaliter celebratur.

Cùm benè antè lucem, meo more, sacris operatus essem, & horarias preces, & funebrem psalmodiam

diam ritè recitaſſem, accerſiri jubeo navicularium, ut cymbam, quam in ſinu noſtræ ſpeluncæ ſubductam habebam, deduceret in mare. Enimverò cum futurus eſſet dies, qui Virginis natalitio ſacer eſt, volebam è piſcatoriis naviculis, quæ plurimæ ad oram Surrentinam piſcatum conveniunt, aliquid mihi piſcium comparare. nam è foro piſcario nihil admodum ſperes: adeò enim Surrentini in piſces imminent, quorum appetentiſſimi, ut ne aphya quidem una in terras appellat; ni fortè cùm plenis retibus capiuntur. habebam etiam mecum lineam, & hamum piſcarium, ut relaxandi animi gratia tantiſper vel è ſcopulis, vel è cymba non tam piſces fallerē, quam otium. Conſcenſa igitur navicula cum Eulalio, qui tum mecum erat in Surrētino, propter ſcopulos ire pergo, ut placidiſſimas auras, quæ manè juxta illos molliſſimæ ſpirant, liberius captarem. ſatias enim jam me tenebat ſtudiorum. Et ſanè poſt continuatam multorum dierum operam laxamento mihi opus erat, & ut aliquam facerem ſtudendi intercapedinem. Poſtquam igitur oram omnem ſumma cum animi voluptate, tum valetudinis commodo circuiſſemus, jubeo navicularium curſum inhibere, ac piſcatoriam juxtà cymbam ſubſiſtere, ex qua piſcatores quatuor retia deducebant, ab his engraulem peto: acceptumque hamo ſtatim præfigo: demittoque in undas. ſi fortè ſynodontem captarem. ſolent hujuſmodi piſces retia circumcurſare, ut minores venentur, præcipuè engraules, quibus avidiſſimi inhiant. neque verò à capta ſpe decidi. vix enim hamum demiſi, cum illicò trahi magna vi lineam ſentio. tum derepentè reliquum funiculi, quod erat in glomere, impiger explico, relaxoque. ſic enim penitus deſcendit hamus in guttura, nec obluctantis vi piſcis linea diſcinditur. poſtquam autem diù, multumque reluctatus, tandem ſemimortuus aliquantu-

culum quievit, funiculo reducto, prædam lætissimus accipio. Deinde ad piscatores accedo, & quid bolo illo piscium comprehenderant, percontor. Tum illi: Isto, inquiunt, fermè nihil: verum multo antequam allucesceret, tantum piscium cœpimus, ut abūdè habere possis. Quibus ego: Exponite nunc verò, ut gratissimos mihi carpam. Tum illi cistam satis grandem, ac benè plenam expromunt: &, Delige, inquiunt, ex tua voluntate. Ego verò quoniam denticem, & quidem grandiusculū habebam, sex tantummodò mullos ex piscibus eligo: & quanti indicarent, interrogo. Tum illi: Accipe hos quinque item scorpios, & has totidem soleas. Quibus tum ego: Illorum mihi opus non est. Hic me Eulalius sic interpellat: Verum certò soleas præstinabis: quippè illis te libenter vesci professus es in Halicuticis; versus teneo: inque illarum gratiam recitabo.

Sed qui Psittacei freta, quæ felicia curſent,
Dicamus. Dulci ſolea pinguedine ſucci
Occurrunt primæ cantanti, quas mihi malim
Apponi, quoties Diverum ſacra paramus
Supplicibus votis, vel tempora quatuor anni
Primitiis frugum oblatis, precibuſque ſacramus.

Age igitur; indulgendum semel genio est: neque sis adeò ad rem attentus, atque parsimoniæ advertas. saltem emito, si quid opus facto esset. Tum ego, ut vel leviſſimam avaritiæ suspicionem à me segregarem; emā, inquam, tui gratia: potius enim mihi est tibi, quam meo obsequi genio. hinc ad piscatores, Quanti? Illi verò perquam benevolè: Quanti voles. res transigatur arbitratu tuo. At ego: Non mea, sed vestra merx est; vestra igitur indicatio. Tum illi. Habe tibi quatuor argenteis. Quibus ego: Tres solvam: Tum illi: cum inter se deliberassent, meumque ingenium jam nossent; Habe, inquiunt. verum quæsumus, ut cum co-

me-

mederis nobis calicem propines Sosiani illius vestri melioris notæ. Quibus ego: Facerem haud gravatè, ni meum prandium caninum esset. Hic illi: vultu in admirationem composito: Vinum non bibis? an fortè jocaris? Ego verò: Haud jocor. tempus enim jocandi non est. Verum vos bona spe esse jubeo: siquidem cum ad nostrũ scopulum applicabitis, dabo vobis phyalam rusi, ut vos mihi propinetis meracius. At illi: At dabis vel lotam certè, vel saltem secundarium. Tum ego. Minimè verò: sed oppidò bonum,& bimum. idque vobis spondeo, promitto, atque in me recipio. illi tum gratias agere,& se in omnem rem paratos esse. demum cum pecuniam numerassem, navicularium domum redire jubeo.

Jam oram nostræ speluncæ cymbulam subducturi prendebamus; cùm phaselum cursu concitatissimo ad nos contendentem animadverto: nec sanè tam propè à litore. quocirca visorium tubulum marsupio educo, explicatumq; oculis accommodo, ut quinam homines forent, exquirerem. tres video in puppi quasi per nebulas: quos nostrates esse, ornatus ipse indicium faciebat. subducta mox trochleis cymba, saxisque ad latera, communita, & ad paxillum religata, iterum inspecto: discernoque distinctissimè nostros illos homines esse, quare ad Eulalium. Hi certè quidem Stabiis veniunt nos de improviso oppressuri. divinavi oppidò cum pisces emerem: alioqui in quas nunc angustias conjicerer: Tum Eulalius: Sic est factum. id verò mihi suaseri debes. Ego illi: Ità sanè. mox navicularium cum piscibus domum præmitto: moneoque, ut asservaret cautè; ne vel canis aliquis, vel catus prandio nostro funus faceret. ipse verò cum Eulalio in ipsa scopuli crepidine hospites oppetior. Illi ubi propius accesserunt, continuò linteo explicato, ut nunc fit; me primùm salutant.

dein-

deinde cum intra vocis excurſum eſſe, sibi visi ſunt, nominatim appellantes, lætis, feſtiſq; acclamationibus ſalvere jubent. Ego illos pari amoris ſignificatione conſaluto. Tandem è phaſelo egreſſos perhumaniter accipio, ac totis vulnis complector: & gratias etiam quamplurimas ago, quo me inviſerent, tantoque honore dignarentur. illi contra rogare, ut eis parcerem, si me ſtudiis occupatum occupaturi, plurimumque negotii conflaturi venirent in pervigilio: quando craſtinus non erat ipsis vacuus futurus: purgare item, si nihil piſcium ſecum attulerint: cùm neque Stabiis, neque per viam, ne perpauculas quidem aphyas reperiſſent. Tum ego illis obteſtor perquam gratiſſimum mihi accidiſſe ipſorum adventum, & ne minimum quidem negotii exhibituros. siquidem nihil me antiquius habuiſſe, quam amicis inſervire, omnemque præſtare operam, atque omnibus proſequi officiis: præcipuè, quorum conſortio ægritudinem animi relevarem. de piſcibus curam omnem, ſolicitudinemque deponerent: eſſe nonnihil domi, quo fami conſulerent.

Hiſce benevolentiæ officiis mutuò præſtitis, illos in rus deduco. Hic placuit tantiſper in calopside immorari, ut Craterem omnem contemplaremur, ac ſpiritum hauriremus liberius. arduum enim aſcenſum, & mihi obſtructione diutina laboranti quammaximè laborioſum, uno ſpiritu confeceramus. mox per Xyſtum in domus atrium venimus, gradibus deinde conſcensis, ſuperior nos ambulatio excepit. Hic hoſpires ad hypæthræ veſtibulum confabulantes cum Eulalio relinquo: me verò ad curandum prandium in culinam capeſſo. Ubi verò ingreſſus ſum, ignem accendiſſe Fabiolum, inque tripode collocaſſe cacabum continuò animadverto: quare, Bene eſt, inquam, Fabiole: laudo ſolertiam tuam: sic enim facto opus erat. Ille verò: Quid

sibi

sibi petunt hi hospites? Ego tùm: Quid petunt? verbo, ut me invisant, revera, ut convivio excipiantur. Et ille: Gaudeo summoperè: prandebimus quippè hoc manè opiparè. Cui ego: Istuc certè quidem tu, gurges, volebas. at egò Superos rogo, ne id mihi frequenter contingat. ne posteaquam brevi decoxerim, hujusce Elysii mei solum perquam geniale vertere, vel ipsis Musis invitis, cogar. Et ille: Non certò tibi deerit pecunia, quæ largè suppeditatur. At ego: largè? imò parcissimè admodũ. certè si id sæpius accidet: hanc pro foribus scribã epigraphen: Occupatũ me Musis esse. Age verò, omittamus istæc: nolo enim moram trahere, ne tardius prandium apparemus: multus quippè dies est. Cedo, ubinam pisces reposuisti? Tum ille: In pensili creotheca. nam propter anni intemperiem tota domus ita formicis, ac vespis scatet, ut nihil sit ab illis securum. quin vereor oppidò, ne etiam in illam, quamvis paxillo ex alto pensilem irruperint. Tum ego: Rectè cautum. accipe, & huc infer. mox ut allati, inque abaco expositi, ego ità fercula distribuo: Sex hosce mullos barbatulos grandiusculos assabimus: & erunt primum edulium post ficus, & salsamenta. Hoc loco Fabiolus sic interpellat: Hic mullus, & digito simul designat, certò lutarius est. nihilominus mensam non corrumpet: nam quinque cum sitis, hic superabundat. Cui ego: Ut bellè commentus est? ut lepidè argutaris? Ut hoc nimirum commẽto vindices tibi mullum? Tum ille, ut est natura promptus: Fac, sodes, inquit, digito periculum. Tum ego mullum attrecto, sentioque præ nimia mollitudine mullum revera esse lutarium; quocirca: Divinasti Fabiole. illum igitur tibi habe. Et ille audaculus: Nempè quod palato tuo non sapit, mihi de illo facis gratiam. Cui tum ego: Parumne est hoc, furcifer? numquid vis te mulso, & placentis saginem?

an tu Melitæus catellus, quem alam mellis medulla? ni majus modeſtiæ ſpecimen præ te feras; lente alam, & faba: & pro pane lupinos dabo. verum redeamus ad inſtitutum. Scorpios hoſce faciemus jurulentos: jus verò condiemus aromate plurimo, uva paſſa, pruno, lauroceraſo, & pineæ nucleo. Hic Fabiolus: Quidni elixemus? Cui ego: O coquum belliſſimum! grandiores elixantur, minores, ni juſſulatos facias, nequaquam ſapiunt; quinimò, diſce, ſtipes, jurulenta magis nutriunt, quam aſſa: aſſa verò magis quam elixa. intellexiſti, asine? Et ille: Teneo enimverò: teque præceptore ſcitiſſimus evadam coquus. At ego: Tantulus, tanta ne verba fundiras? Sed pergam porrò. Soleas frigemus oleo melioris notæ. Denticem verò hunc, fructum noſtræ tum induſtriæ, tum fortunæ, ſcitè incruſtabimus panificio perquam delicatiſſimo. Hoc loco Fabiolus: Hactenus de piſcibus, & quidem rectè: verum de pulte non cogitaſti. Tum ego: Cogitavi, asine. putaſne me adeò immemotem, ut te egeam monitore? Erit hæc candida ex Cerealibus vermiculis delicatiſſimis, ac planis: quos vix in ollam injeciſti, atque cocti ſunt. rotundos enim grandiuſculos, quos noſtri oleo condiunt, nunquam probavi: noxii quippè jis, qui cacoſtomachi ſunt. & ſumus omnes, quotquot libidinem habemus in libris. ideircò illos ego amygdalino lacte condiam; addam item calaminum mel, & cinnamomum.

His sic diſpoſitis, furnum faccendere puerum jubeo. ipſe verò similam laudatiſſimam, ſaccharumque permiſceo, addo pauxillum ſalis, atque olei defæcatiſſimi. mox frigida ſubigo, intritamque facio, ut Synodontem incruſtarem. poſteà verò ſubactam maſſam portiot in æquas partes, lignoque tornatili utrãque extendo, inq; ovi. figuram fingo. in una denticem integrum quidem,

ſed

sed utrimque ad spinam usque frustatim incisum, impono: circumque salitos fungos adjungo; quos, ut nimiam salsedinem exuerent, aqua diluetam: dilutum item Thynni ventrem pinguissimum. quod salsamenti genus, quoniam Tarentini primum, teste Athenæo, excogitarunt, Tarentinum vocamus: vulgus nostratium *Tarantellum* dicit. spatsim verò olivas Africanas, pruna, cæteraque hujusmodi infarcio. demum odoramenta cum pipere dissemino. exin alteram intritæ partem jam extensam super pono, factumque ita fingo, ut præ se piscis speciem ferret. superiorem crustam infetioti adnecto digito premens, pinnatumque limbum effingo: uno tandum meatu perexiguo relicto, quà per infectum calamum suffio connisus bucca, ut sic aërem intromitterem, quo inflata aëre crusta sese attolleret, solidumque piscem fingeret. eductoque statim calamo, meatum claudo. si secus faxis, aër repente exilit, subsidetque simul crusta, rugasque induens informis veniet, inscitiamque pectoris arguet, subinde quod circum intritæ exorbitaverat, cultro dissecto. fingo ex residuo caudam pisci cereali, & branchias item, atque os, oculosque: geminum quibus infero piperis acinum vice pupillæ. quæ quidem & artis diligentiam commendant; & convivium exhilarant. Quia verò furnus jam erat subalbidus, jubeo educi prunas, verrique solum. mox ego infurnibulo piscem submitto. obducoque statim præfurnium ferreo operculo. quoniam verò istuc non respondebat exactè præfurnio, & erat pertusum, quippè vetustissimum, & sarcitum nunquam, ego ne calor evaporaret, mappa attrita, & benè madida, circum rimas, & foramina arctissimè occludo. Cum autem præ nimio calore, ac defatigatione totus sudore manaveram, jubeo puerum pinsere Græcas nuces, quas jam calida imbutas mundaverat. ipse in cubiculum me re-

cipio, ut ſudorem omnem, quem lacinia non poteram, mantili toto detergerem: exutuſque madidam, ſiccam ſubuculam induerem.

Dum è cubiculo pedem effero, intereà loci me hoſpites accerſunt, rogitantque ut tantiſper eſſiderem: Ne, quæſumus, inquiunt in culina, prandioque adornando totus sis: neque noſtrum cauſſa tantum laboris, & operę ſuſcipias. pauxillum contenti ſumus. Quibus tum ego: Imò verò perpauxillum, & hoc malè conditum vobis dabo. siquidem, ut ſcitis equidem, qui cibos vel apparet, vel condiat præter me, habeo neminem: & vos me præſcium eſſe noluiſtis. tanti autem vos facio, ut præ veſtro commodo omnia mihi poſt eſſe putem; quocirca eò animum intendam, curamque omnem, ac diligentiam conferam, ut veſtris meritis reſpondeam: ſtatimque aſſideo, & quid eſſet de quo ſermonem haberent, interrogo. Tum illi: De Veſuvio, inquiunt, in cujus ambuſto vertice alterum jã montem, altero ab hoc incendio, quod nuper contigit, enatum contemplabamur, ut nimirum nova mole addita altior aſſurrexerit: utque crater ignivomus jam penè totus repletus sit. Putaſne nova illum eruptione dejectum iri? Quibus tum ego: Iſtuc certè mihi videtur verisimile: siquidem ibi perpetuò ignis alitur, qui incendia ſæpenumero excitat. Imò quis neget fore, ut aliquando univerſus mons pereat incendiis? Tum illi: Probabilia prædicas, id verò avertant Superi, ne in noſtrã ætatẽ cadat. Verum age, quia cõpluries alios hujuſcemodi montes ignivomos eſſe, latè per univerſum terratũ Orbẽ ſparſos audivimus, abste ſcitè avemus, qui ſint, & quibus in locis ardeſcant. De Ætna, Vulcano, & Phlegra nihil eſt, cur labores, tenemus quippè qui ſint; cum penè ob oculos verſentur. Tum ego: Faciam, geratur mos, ut par eſt, vobis. Illos igitur miſſos facio: quos modò commemoraſtis, ad alioſque

que recenſendos me converto: ne verò sim longus nō sine prandii damno, rem in pauca conferam. In reliqua Europa nonnisi unus ſupereſt Thule in inſula, quę olim ultimus ad Septentriones terrarum terminus erat. Hecłam incolæ indigitant, immenſæ altitudinis. illius vertex æterna obruitur nive, ac perpetuis nubibus, & caligine obsitus eſt. ęque immani montis sinu continuō erumpunt flammæ, latèque incendia prælucent. plurimi item ex illo fontes manant adeò ferventes, ut ignis vicem apud gentes gerant. illos enim domos derivant, & ad coquendas pultes, immanemque frigoris vim repellendam utuntur. Sunt etiam Lugdunensi in agro campi quidam, qui ignem interdum, fumum verò ferè ſemper emittunt. in hiſce verò campis non multis ab hinc annis ignem perhibēt exarsiſſe. inde verò, quasi ab Vulcanilis lapidicinis, carbones indigenæ ad domeſticos uſus aſportant. In Asia, quæ ſecunda pars eſt Orbis terrarum, notiſſimus apud Lycios Chimæra mons: de quo fabula triformis monſtri flammas evomentis: quare poēta noſter:

Flammiſque armata Chimæra.

In Cappadocia, quæ minoris Asiæ provincia eſt, Argæus ardet: in Bactriana verò Cophantus: aliique fama minus celebres ex intervallo in Perſia conflagrare perhibentur. Verum in Orientalis Oceani inſulis, quas Asiæ Geogtaphi aſcribunt, plurimi ſunt, & vaſtiſſimis incendiis celeberrimi. Primus eſt in Ternate ex Molucceis una: ex quibus inſulis ad nos aromata devehuntur. Secundus in Maurica, tùm incendis infami, tùm incolarum imminate. ab hujus vertice perquam celsiſſimo tanta ignium copia, tanta vi, tantoque bombo erumpit, tanto item vel cineris, vel lapidum, quà turbine, quà procella, ut remotis etiam inſulis vaſtitatis metum incutiat. Tertius eſt in una ex Bandanis, Go-

napius incolis vocitatur. Quarius in Sumatra (Hanc Labadii insulam cujus Ptolemæus meminit, esse plerique putant, mihi est maxima Sindarum, de qua in Nauticis,

Contra elata mari, & medio sub vertice cœli
Maxima Sindarum jacet aquore perlita Eoo.)

Baluanus nomine: qui è jugo tùm immani, tùm aspero, identidem vel flamma, vel tonitru indigenas territat. In Tandaja, quæ non ultimo loco inter Borussas numeratur (Has insulas Hispani à Philippo Rege, cujus auspiciis detectæ, Philippinas appellavere) Vesuvius suus est, & sua incendia: & suas item agrorum patitur vastitates. Java, quam majorem dicunt, (est enim minor altera, ut vos non certè præterit) est verò illarum una, quas Sindas, Australes nimirum insulas vocamus, mõtem totius insulæ vastissimum habet, qui anno ab Orbe instaurato MDLXXXVI. primitus ardere cœpit: & quidem tanta, & tam subita eruptione, ut X. millia hominum incendio periisse memoriæ proditum sit. Suot etiam quidam in Japonia; quæ tellus tota ferè ignibus fœta est, eosque perpetuò alit, quippè quæ immensam penè materiam eorum gignit, quibus igni pabula suppetunt; ideircò continuiis fermè concussionibus movetur, ac trepidat. In Africa celebratur Æthiopicum jugũ. Græci ab immani altitudine Θεῶν ὄχημα, quasi dicas Deorum currum, appellant. Est etiam alter, tum fama cognitus, tum incendio terribilis, Guezevalio factum à barbaris nomen. qui è vastissimo hiatu & magno flammarum cuneo, & horrendo cineris turbine perpetuum ignem eructat. Ad Orientem Solem Africæ respondet insula, quã Galli à regiæ familiæ cognomine Borboniam dixerunt; quæ præruptum in montem exuberat, ex cujus sinu ignem, ignitosque lapides tanto fragore, nimboque torquet, ut cœlum ruere

cre-

credas, cunctaque iterum abite in chaos. Ad Occidentem verò Solem altera eidem Africæ respondet, quæ est una è Fortunatis, Junonis insula veteribus dicta: nostro ævo *Tenerissa*, & ab Hispanis, & à barbaris appellata. in hac mons surgit, altitudine jugi Atlanti suppar, major verò incendiis. qui quidem mons, Pico Junonio illi nomen, altissimæ instar Phari longè, latèque Oceanum præternavigantibus lumine perquam maximè conspicuo prælucet. In America, quæ quarta pars est terrarum, & novus Orbis, compluries ardere montes, hi qui vastissimas illas regiones lustraverunt, nobis quà scriptis, quà verbis tradiderunt. memorantur quidam in Peruvia, quidam in Nicaragua, nominibus tam barbaris, atque insuetis, ut illorum memoria mihi penitus occiderit. At in provincia, quam gens illa tam barbara, quam quæ maximè, *Ciapotulanam* indigitat, mons tollitur tanta altitudine, ut Caucasum æquare possit, in illius jugo, ingens crater patescit: ex quo ignea saxa, dicam verius, integræ rupes, validissimo impetu, ac fragore immani, altissimè projectantur.

Sed nolo plura facere, ne plus immorer constituto: ne fortè dum de igni sermo sit, sit ab igne periculum. Illi verò: quod periculum narras? Quibus tum ego: Vereor oppidò ne pisces, panisque edulium præ nimio furni calore aduratur, quapropter manete hic vos, ego in culinam facessam, cùm verò prandium in promptu erit, huc redibo. assurgo igitur, inque culinam me recipio. statimque operculum à præfurnio extraho, incrustatumque denticem educo. qui jam coctus benè erat: quocirca in arca asservo. Exin Eulalium accerso: jubeoque mensam instruere: & illam tum foliis viridantibus, tum floribus exornare, ut tali hospites apparatu honestius exciperem. Ipse interea fictilem in testudinem sal, tritumque allium mitto, oleum infundo;

inque brevi tripode colloco, prunaſque ſubjicio. Interea dum oleum incaleſceret, frigereturq; allium, ſcorpios exentero, ac lavo: mox exoſſatos in effervescentem jam oleum injicio, una cum nucleis pineis, pruno, laureoq; ceraſo sicco, cujus non ingrata amaritudo ſapidiſſimum facit juſcum. quod ut abundè haberem, aquam infundo: tandem cinnamomum cum cariophillo, runſoque pipere ſuperſemino, quæ quidem aromata noxios piſcium humores temperant, ſtomachumque juvant. hac teſtudine operculata, in alteram me transfero, in qua tum primùm aqua cœperat ebullire, cum amygdalino lacte gutto mundiſſimo prius eliquato; edules vermiculos ſensim jacio, expandoque, atque extrico cochleari: ſi ſecius faxis, in globulos coëunt. ut verò brevi cocti fuerunt, è tripode vas extraho, commodoque in loco repono: ne verò frigeſcerent, perquam paucas admodum ptunas circumſterno. His adornatis hoc modo, ſcorpios verſo, ut utrinque nimirum coquerentur. acceptum poſt deinde cochleari nonnihil juſculi. flatu tepefacio: tepefactum verò ſummis labiis delibo experiundi gratia, eſſetne ſapidum, necne? Hinc me ad frigendas ſoleas accingo. igitur in ſartaginem plurimum olei non ordinarii, aut omphacini, ſed generosi large infundo: eamque pono in alto tripode. jubeo simul puerum ſarmentis flammam excitare, dum ipſe ſoleas simila aſpergerem. mox simul, atque à calore oleum obſtrepuit, ſoleas jacio in frixorium. verum ore averſo, ne ferventis olei guttæ exilientes nocerent, ut alias acciderat, cum primulum peritus non benè in culinariam me cōtuli. ut uno frixæ jam latere, cochleari plano, ac pertuſo ſtatim verſo. tandem educo jam bene coctas: & tandiù inclinato cochleari pendentes teneo, quoad oleum omne diſtillavit, mittoque in lancem.

Hac

Hac prima operis parte ſcitè, atq; expeditè abſoluta, alteram derepente arripio. in patellam florem olei, aceturnque infundo, miſceoque pauxillum ſalis pinſi, quo jure mullos inungo, inunctamq; ſupra craticulam expando, prunaſque ſubſterno. jubeoque Fabiolum jure illo accepto lauri foliis mullos identidem aſpergere: ut ſic pingues, ac ſuctoſi, non verò exucti, atque inaſſati venirent. Ego ad paranda ſalſamenta, quæ in pervigilio vice petaſonis, Nolanique farciminis ſunt, confeſtim propero. Binas ſcutellas expono in abaco: deinde ſalſamentum, quod Græci, quoniam ex humero thynni ſalitur, ὠμοπάριχον vocant, in fruſta quernis foliis ſimilia diſſeco, inque una ſcutellarum explico. in altera ſalſamentum alterum garo antiquorum non absimile, quod ex piſcium ovis ſalitis, fumoque ſiccatis conficitur (Græci obid ὠὰ πάριχα nuncuparunt) in fruſtra pariter diſſectum expono. in medio autem utriuſque ſcutellæ olivas ſalitas, & capparis baccas item ſalitas, ſalſilagine prius expreſſa, largè repono. quæ quidem baccæ mihi ſunt perquam gratiſſimæ; nam præterquamquod ſtomachum pervellant, atque expetentiam excitent, lienem laxant, ac pituitam per aluum exiguut.

Vix hæc, cùm en tibi hoſpites: quidque agerem, percontantur. Quibus ego: Quamnam horam veſter indicat venter? qui certè, ut ait Comicus,

Solarium

Multo omnium iſtorum optumum, ac veriſſimum.

Et illi; Duodecimam. Tum ego; Rectè indicat. en ut jam Sol medii diei circulum attigit, quo diem nobis diſſindit. quocirca puerum jubeo qualum, ubi ficus in puteo aſſeruabantur, educere. ego, & Eulalius nivaria vaſcula verſamus, motamuſque ſubinde, ut tum aqua, tum vinum citius frigeſcerent. ſciebam enim hoſpites ni-

va-

vatis ſummopere delectari. Poſteà verò, ficubus in canistro expositis, ſparsiſque deſuper floſculis multigeneris, atque odorosis: illatiſque in menſam ſalſamentis, Eulalius siniſtra pollubrum attulit, dextra æquale, ego mundiſſimum mantile villoſum: amicoſque invitamus ad lavandas manus. Illi verò renuentes ſeſe ſubtrahere volebant: Neque unquam patiemur, inquiunt, id à te nobis miniſterium præſtari. Tum ego: Acquieſcite porrò, quæſo, faciam hoc, ac libenter quidem. amicos enim omni officiorum genere proſequi ingenuum decet virum, & antiquis moribus. Et illi: Quando sic jubes, geratur mos tibi, qui tot nos beneficiis complexus es, ut nos tibi habeas implicatiſſimos. Lotis igitur manibus, prandium, precè dicta, benè ominamur. Cui ſtatim ac ſedimus, exordium factum eſt à ficis. erant illæ partim optatæ, maturæ æque, ac pingues, partim purpureæ mamillanæ, meo quidem judicio, omnium probatiſſimæ, anquisitiſſimęq; quippè calloſæ, non molles: nec adeò dulces, ſed mixtam quandam habent acritudinem, quæ in fructibus perjucunda eſt. Dum igitur ficis indulgerent libenter: Mirum profectò, inquiunt, quod abſque nive tam frigidæ sint, quæ quæ frigidiſſimæ. Quibus ego: Id commodi nobis sine ullo ſumptu puteus affert, utqui gelidiſſimus: ex quo poma tum ficulnea, tum cujuſquemodi sint generis in illo reposita frigus penitus hauriunt, retinentque diù: quinimò ſaniora sic ſunt, nix enim, ut teſtatur Ariſtoteles libro Problem: noxia eſt valetudini: ἀπὸ χίονος, ὃ κρυσάλλων ὕδατα φαῦλα ἐσιν. Tum illi: Invidemus oppidò tibi hanc felicitatem, ac ſolertiam tuam laudamus, qui commodo ſcis uti commodè. noſtri cum poſſent hoc bono frui, ſupini negligunt. id verò accidit partim præfectorum conniventia, partim verò inertia miniſtrorum, qui ut humeris par-

parcant ſuis, bono publico malè, malè autem? imò peſſimè conſuluut. Hæc dum dicerent, interea loci puer mullos in menſam intulit. illos ego menſæ inſtructor ſingulos ſingulis diſtribuo. Hinc ſoleas ſubminiſtro: quæ quoniam & pingues, & recentes erant, mirifice cõvivarum palato arriſerunt. pultem ſub hæc candidam, quam ſcutellis ingeſſerat, Fabiolus porrexit. ego deſuper calaminum mei cum cinnamomo largè admodum ſpargo. in hunc enim modum ſcitè conditur pulс candida, ſi ſecus, vix prægustari poteſt. hanc cum comeſſemus, jurulentos ſcorpios puer appoſuit. Hoc loco amici: Iſtucne illud eſt nonnihil piſcium? iſtuc perpauxillum illud? Numquid majus epulum inſtruxiſſes si tibi in proximum menſem diem dixiſſemus? Nempè noſtrum gratia diem feſtum agere vel in pervigilio voluiſti. gratias agimus pro tua in nos liberalitate. Tum ego: Adeone vos ſobrii, ac frugales, quibus perpauca hæc, plurima videantur? At puer sic amicos interpellat: Supereſt, quod magis miremini. Illi verò: Ludiſne puer? Quibus tum ille: Næ ego ſtultus, qui coram vobis nugas loqui velim? manete, quæſo; mox hunc revertar. ingreſſuſque culinam incruſtatum denticem accepit ambobus manibus: lætoque rediens vultu, in menſam intulit. Illi simul, atque Cererem tam ſcitè in piſcem informatam, fictamque vident, curioſi, quis, cedo, inquiunt, tam pulchrum, tam opportunum ad te munus tranſmiſit? Quibus ego: Noſtra diligentia, noſtra induſtria: ex qua plus oppidò mihi promitto, quam ab amicis. ego quod per me præſtare poſſum, neutiquam ab aliis expecto. plerumque amicitia multorum nihil ſanè aliud eſt, ut bellè Tullius, quam mercatura utilitatum, commoditatumque ſuarum, quapropter illud Ennii mihi eſt in memoria fixum,

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm,
Ne quid expectes amicos, quod tute agere possies.

Tum illi: Si ita est, ut narras, tu non egregium tantum coquum, sed pistorem etiam fingis. quapropter tibi pro hac nova eruditione gratulamur. mox singuli calicem collino rufo benè plenum propinarunt mihi perquam festivè. Tum ego etsi me contineam à vino, tamen ut tantæ in me benevolentiæ vices redderem, unum illis, sed dilutius propinavi. Hanc inter festivam hilaritatem, mutuaque urbanitatis officia, acetariolum miscellum pro secundis mensis, ut fermè fit, puer apposuit. quod ego ex lectissimis quibusque herbulis diligenter exquisitis, atque indiscretim permistis, conflaveram. Erant verò omnes, quæ tum stomacho utiles, tum palato gratæ existimantur: cujusmodi lactucæ tenerrimæ, quæ tum primulum eruperant è cauliculo, mordaces erucæ, sia, quæ nimium erucarum calorem suo frigore temperarent, anethum, bipennula hortensis, aliæque hujus generis. qua herbularum varietate, ac delectu convivæ mirum in modum delectati. Atque hic tandem ab epulo quievimus.

CAPUT VI.

Post epulum, qua vera esset causa Vesuviani incendii diligenter exquisitum, atque investigatum est.

UT à mensa assurreximus, nosque in amœniorem locum contulimus, ego meo more; Agite, inquam, & quoniam jam corpori indulsimus, par est, ut eruditis animum confabulatiunculis recreemus. Tum illi: Istuc magnoperè desideramus: neque quidquam gratius cadere potest. Quoniam verò de Vesuvio inter cos sermo habitus antea fuerat, illum iterum lubentibus

bus animis in medium inferre placuit. Quæsitum igitur, quæ fuerit cauſſa tam vaſti, ac terribilis incendii. cum verò omnes, quid ſentirem ipſe, percontarentur: ego ut amicis morem gererem: Quando, inquam, me ſententiam rogatis, dicam equidem, quod ſentio. Quia verò poëtã nacti eſtis, audite, quęſo, ut perpauculis verſiculis, veram incendii cauſſam, ni meus me fallit animus, complexus ſim Bell: II. Tum illi; Id à te expectabamus: quocirca nihil gratius nobis accidet. Tum ego verſus ſic memoriter recito.

Hinc docet, ut ruptis nimio fervore caminis,
Vesbius ardentes jaculetur ad æthera nimbos.
Vtque bitumineos, & odori ſulphuris amnes
Evomat eructans, latèque incendia campis
Vaſta ferens, eadem villis molitur, & agris.
Nimirum multo quoniam ſuccenſa calore,
Materia in rapidum vertit ſe foſſilis ignem.
Quæ poſtquam intumuit: nec jam ſpumoſa tenet ſe,
Inſtar aquæ, rupto quæ deſluit aggere ripæ,
Immenſa ex alto ſeſe cratere refundit
Eluvie, & circum rapidis vorat omnia flammis.
Idque magis, cum bruma riget; quia frigore bruma
Dum furit, ima magis ferveſcunt viſcera montis:
Scilicet externi propulſent frigoris iram.

Hic illi: Adeò concinnè, & concisè, atque ad veritatem accomodatè, ut videaris rem ac tetigiſſe. verumtamen atiam, atque etiam rogamus, (id autem ſine moleſtia tua fiat) ut preſſius nobis illam explices, atque enucleatè, ut fermè aſſoles. Tum ego: Iſtuc jam ibam. faciam verò lubens, quando juberis: neque ego ſic ſum, ut moleſtiæ ducam, quod vobis placere intelligo. Quoniam igitur res in meo foro vertitur, feram, ut potero, judicium æquiſſimum. vetum fretus intelligentia veſtra, diſſeram brevius, quam res ipſa deſiderat, & eò præci-

puè,

puè, quod jam ic dies. Vesuvius, qui ad extremam oram nostræ Campaniæ biceps, quasi Parnassus, assurgit, cavernosus est. id verò, ne hæream in manifesto, per se quisquis conjectare facilè potest. Hic illi: Damus ultro: explorata enim res est. Ego verò: Quinimò quidam sunt, qui immanes subter specus hac, illàc per universum Campaniæ tractum extendi; perque hujusmodi verò cavernas subterraneos ignes, ultro, citroque è Vesuvio in Phlegram, atque ex hac in illum recurrere, opinantur. quod quidem verumne sit, necne, in præsentia non disputo, verisimile quidem certè. In hisce verò Vesuvii cavis fodinæ sunt quamplurimæ tum bituminis, tum sulphuris, necnon & nitri, salis Ammoniaci, lapidisque specularis. metalla vel certè nulla, vel quam pauciſſima inibi reperiuntur. Istæc verò Mineralia, ut novitia denominatione nostri dicunt, perpetuò generantur, eodem prorsus modo, quo reliqua metalla gigni, confessa res est. Tum illi: Et istuc etiam concedimus: nemo enim est, qui in hoc tibi possit contradicere. Ego verò: Sed pergite porrò mecum. Et illi: Eo ut te attento sequamur animo. Tum ego: At enim liquidum bitumen cum sit, & sulphur item liquescat, inque spumas paulatim assurgant; jam verò ubi in magnam molem excreverunt, ignem concipiunt, atque effervescunt, & magis, magisque ebulliunt. illis verò, pigra, ac lenta eum sint, quippè quæ magis tenacia, nierum, quod magis activum, & suopte ingenio volatile, vim suppeditat, & quasi violentos facit animos. Atque hinc fit, ut ambusta saxa, cineres, & quidquid in visceribus mons habet, repetitis identidem bombis, in cœlum nigro flammarum cuneo ignis intorqueat. Enim verò (rem vobis exemplo perspicuam faciam) ut pyrio pulveri nitrum vim omnem, omnemque impertit impetum: ita prorsus hujuscemodi incendiis idem robur,

ac vires ſubminiſtrat. Hoc loco illi: Aſſentimur. Sed age, cedo, quo fiet, ut coagmentata ex illis materies accendatur, atque efferveſcat? an quia per ſubterraneos meatus irrumpentibus è mari ventis afflatur? Ain? Tum ego: Imò nego. Enim verò etsi nonnunquam in abditos terræ meatus inferre ſe ventos conceſſerim, non tamen ab illis, Vulcaniis veluti follibus aërem accipientibus, tanta ſuſcitari incendia crediderim. Experimur ſanè quotidiè, non eo inficias, ali ignem ventorum flabris, atque augeri: nulla verò prævia ſcintilla ſuccendi, obſervatum certè nunquam. Quinimò tantos, ac tam vehementes per ſecreta terrarum debacchari ventos, ut hujuſmodi incendia creare, atque fovere queant, verisimile eſt ullo modo. At non inficior poſſe quidem ventos ſæpenumero igneos ſpiritus ita coadunare, ut hi in unum coëuntes, illicò in flammas abeant, ſuſcitentque incendia. non ſecus enim halitus calidi coacervati in nubibus ignem quamcitiſſimè concipiunt. nec profectò aliter Solis radii globoſis ſpeculis, aut cōcavis collecti in foco, ut ajunt Optici (eſt autem focus punctus ille, in quo radii è ſpeculis repercuſſi ſibi mutuò occurrunt) ignem derepente progignunt, & quidem vehementiſſimum. Hic illi: Perge porrò efficere, quod cœpiſti: tenemus enim iſtæc, quippè liquida, & expoſita, faciliter. Tum ego: Idipſum jam moveo. Ut verò ad rem proximè accedamus, & cauſſam, ut ajunt Phyſici, efficientem exquiramus, id, quod Zeno arbitratus eſt, concedere oportet. Ajebat enim Zeno ſparſum in res omnes ætherium quendam calorem eſſe, ex quo motus omnis principia deducerentur. hujuſcemodi verò calorem per penitiſſimum terræ gremium eodem fermè modò diffundi, ac permeare, ut per animantium venas fluit ſanguis, ac refluit. Quia verò in quibuſdam terrarum locis affatim illius eſt materiæ, quæ ſuapte natu-

ra calorem concipit, & conceptum fovet, plus etiam ibidem hujuſmodi caloris eſſe, neceſſe eſt. Jam verò montes poſitu ſuo, ſuaque mole aptiſſimi cum ſint ad plurimas ſinu cavernas continendas, neceſſe eſt in illis magnam etiam copiam illiuſmodi materiæ, bituminis nimirum, ſulphuris, ac nitri contineri. quæ quoniam, reapſe calida eſt, & facilè accenditur, idcircò argumento planè manifeſto efficitur, in illis ſæpe ſæpius coadunatum calorem in ignem illicò exardeſcere, & conflagrare. Atque hinc ſunt vaſta illa, atque horrenda incendia, quæ in Veſuvio, in Ætna, cæteriſque in montibus ignivomis ex intervallo admiramur. Hoc loco illi: Accedimus vel in hoc tibi. verum unum non ſatis adhuc planè perſpicuum, coadunatum nimirum calorem in illiuſmodi materia ex ſeſe erumpere in ignem. Tum ego: Iſtuc exemplo plano, ac trito conficiam apertiſſimè. In fœno, in ſtabulis, in columbariis item, in quibus plurima jacet ſtercoroſa materies, quæ ſuapte natura calida eſt, nonne ſæpenumero ignis accenditur? ſi ita. cur non fieri etiam poteſt, ut in ſulphure, & bitumine ſua ſponte pariter erumpat? Quinimò, ſi ſpeculis, ut ſuperius dicebam, ſtipatus calor, atque idcircò robuſtior, ignem creat: cur non idem in ſulphurea, bitumineaque materia coacervatus eundem excitabit? eſt igitur in illa ſuæ ſpontis ignis. Hic illi: Rectè quidem. verùm ſi id tibi detur, eveniret non raro, ut pyrius pulvis, ſine reſte igniaria, quæ ignem inſinuet, ſua ſponte exardeſceret. iſtuc verò haudquam experimur. Quibus tum ego: Haud equidem id eodem argumento ſequi concedam. certus enim in pulvere calor, qui neque adunari magis, nec major evadere poteſt. quocirca ſuſcipere quidem ignem valet, ex ſe verò edere non valet. Hic illi: Aſſentimur & his tandem: inque quam ſententiam nõ pedarii, ſed ratione ducti deſcendimus.

dimus. Verum age sis, de Anaxagoræ opinione quid sentis? qui, ut te certò scire pro certo habemus, supernè è nubibus ignem descendere commentus est: inque penitiores terrarum fibras postquam irruperit, incendia suscitare. Tum ego: Morem vobis geram; & quam pauciſſimis admodum verbis rem complectar. inclinata enim ad vesperam dies de vestro vos reditu admonet cogitare. Illi verò: De reditu ne sis solicitus: siquidem in diebus hisce canicularibus vespertinæ auræ erunt nobis perquam gratiſſimæ: imò etiam saluberrimæ. Tum ego: Si sic constitutum est vobis, dicam pluribus, quando jam me ad garriendum induxistis. Et sanè quis unquam uspiam è nubibus ignis depluit? numnam cum fulmine? inquiet fortasse Anaxagoras: sed si ità; jam ignis ille in intima terrarum penetrare potuit ullo modo; quippè in terræ gremium fulmina alius non irrumpunt. qui fiet igitur, ut abditam penitus materiam corripiat? Non rarò admodum in pyrium pulverem de improviso illapsa fulmina ignem edidisse, do equidem: & dandum profectò est. Atqui in pulverem fulmina non penitis inclusum cavis, sed in ipsa penè extima terrarum superficie offenderunt: quocirca haud mirum sanè est, si statim ille in ignem exarsit, abiitque attenuatus in aerem. Quod si aliquandò eadat, ut sulphurea materies in ipso montis vertice excreta sit, atque aggesta, (quod tamen vix probabile porrò) tùm igne cœlesti tactam conflagrare, non nego. Hic illi: Habemus vel hæc: atque abs te sentimus. sed pergamus ad reliqua. Velit Anaxagoras densari nubes in terrarum caveis; in hujusmodi verò nubibus cudi fulmina: mox verò exilire, disrupta nube. jam verò illis, ut ex conflictu æris, ac lapidis fermè fit, extundi ignem, negabit profectò nemo. qua his ratione occurris? Tum ego: Responsio est ad manum. Etenim

non alia in terrarum sinu excudi fulmina puto, quam ea, quæ Cyclopes Jovi fabricant, quæ cum bellissimas poëtarum commenta sint; quid inde efficiatur, certè intelligitis. Eja verò agite, liberales admodum, demus etiam illud Anaxagoræ, inclusum nempè aërem in guttas præ nimio lapidum frigore vertere se, atque immutare. verùm quo argumento hinc confitiet subinde fulmina generari? Ni fortè istæc fulmina illa sint incendia, quorum causam vestigamus. At si ille adunari calorem velit, qui sic densior factus, inflammetur, ultrò concedo. Verùm enimverò istuc est, quod antea & volebam ego, & vos libens mihi dabatis. Tum illi: Cur non daremus illa tibi, quæ tu manifesta ratione efficiebas? Sed istæc ad liquidum explorata: jam porrò videamus cætera. Et primò videris tu quidem nobis Democriti sententiam non improbare: quippè ab externo frigore adunati calorem ais illis versiculis, quos modò recitasti,

Idque magis, cum bruma riget, quia frigore bruma
Dum furit, ima magis ferveſcunt viſcera mentis:
Scilicet externi propulſent frigoris iram.

Tum ego: Mirum in modum gaudeo, quod meis me versiculis urgetis, sed facilè me extricabo. In illis enim poëtam, physicum hic fingo: poëtæ verò multa licentius dicunt, quæ quidem licentia physicos non decet. verum, quoniam simulare meum non est, fatendum sanè, quod sentio. quamvis enim hujusmodi incendia ab externo frigore inflammari non coeſſerim, augeri verò, mihi probabile quidem certè: Tum illi: At quis sic animum inducat suum, ut in intima terrarum viscera penetrare frigora facilè credat? Quibus ego: Quis? Ille certò, qui terras spiraculis plurimis patere, & suopte ingenio frigora suscipere planè novit. Tum illi: Rectè dicis: & sic res habet. At ego: Ut rem omnem aliquan-

quandò planè conficiam, dicam apertè, quod sentio. Et illi, Age, age, eloquere tandem. quid diutius nos suspensos tenes? Quibus tum ego: Dicam equidem, neque vos amplius celabo de sententia, quæ dudum mihi hæsit in animo, Vesuvii nimirum in sinu perpetuum ali ignem, quamvis exiguum, ac veluti consopitum, qui simul ac nova, & major materies suffecta est, excitetur, augeatur, efferveat, ac demum in apertum erumpens creet incendia. Tum illi: Istuc sanè suspicabamur, & non inverisimile quidem illud. sed age, quo id argumento? Quibus ego: Hoc præcipuè, quod, nisi me fallo, vel ipso igne clarius est: Etenim cum omni ferè anni tempore ex illo fumus, etsi tenuissimus, evaporet, qui ignis index manifestissimus est, ignem inibi contineri perspicuè sequitur. Idipsum videmus in Phlegra, in Vulcano, in Ætna, cæteris que in montibus, qui magnis interdum incendiis conflagrare perhibentur, & quibus fumus fermè perpetuus. imò in Phlegra aquæ etiam effervescunt; quapropter ignem in illis ardere manifesta conjectura consequimur. Hic illi: Assentimur prorsus. Perge porrò. Nisi quid te te tenet, nam nos tardissimè domum proficisci voluptas est. Ego verò: Nihil admodum est, quod me teneat. imò etsi multa essent, quæ me alio accerserent, illa omnia posteriora ponerem, ut vobis operam darem. Illi verò. Quando igitur tantis nos beneficis prosequeris. Dic, quæsumus, quemnam in modum nova semper materies ad nova incendia sufficiatur, & tanta copia, ut abundè suppetat? Tum ego: Istuc etiam enodare connitar. Ajo igitur illiusmodi materiam, eodem prorsus modo generari, quo veteribus erutis, nova in fodinis metalla procreantur. similia enim cum sint, cur non etiam simili modo progigni dicendum est? Nova verò metalla continuò suffici, atque produci manifestissimis experimen-

rimentis compertum eſt. Et ſanè teſtem unũ, qui inſtar multorum eſt, edere ſatis duco: nimirum Ariſtotelem, qui teſtatur videri vel ipsis oculis in Macedoniæ fodinis aurum manifeſtò renaſci. Idipſum in aliis etiam exploratum eſt apertiſſimè. si ergo nova ſemper metalla gigni, quamvis longæva, concedere experimento cogimur (& rationi conſentaneum etiam eſt) producei ea pariter, quæ adeò longam non petunt productionem, demus etiam opus eſt. producuntur autem vel ex concreto terræ humore, vel ex tranſmutatione mutua elementorum, vel certè ex utroque: atque hinc eſt cur affatim ſuppetat: plurimus quippè humor, & plurimam elementa materiam apta ſunt ſuppeditare. Hoc loco illi: Iſta tibi etiam concedimus; quare res planè confecta eſt. Uno tamen, qui hæret adhuc, nos ſcrupulo leva, atque exime. Quibus ego: Veſtrum eſt indicare: conniti verò omnibus viribus meum. Tum illi: Quoniam immenſam penè materiam mons eructavit, quæ si componeretur in unum, plures ſanè Veſuvios efficeret: & tamen de ſua magnitudine nõ multum ipſe amisit, totam penè cavernoſam Campaniam eſſe, videtur planè ſequi. Tum ego: Plurimas in monte patere cavernas volens, libenſque concedo: per illas enim ſecretos quasi ſiphones maris aquam attraxit ad ſeſe, hauſitque affatim, quam mox ferventem, piceamque revomuit, remiſitque iterum in mare. univerſam verò Campaniam interius concavam eſſe, immenſaſque sinu continere caveas, nego enim verò, ac pernego. nonnullos tamen meatus venarum inſtar extendi, ut per omnẽ terrarũ sinũ, verisimile arbitror. Imò illas ealdem mõtis ſpecus nova poſt concreta materia obduci iterum, atque oppleri mea fert opinio, atque non improbabilis. Iſtæc autem omnia nobis fierent notiora, si in terrarum abdita linceis oculis poſſemus introſpicere: Et

quid

quid in arcanis illis latens vel agat, vel meditetur natura, deprehendere. quocirca puto me non abs re dixisse Halieut: I.

Multa latent homines, solis quæ cognita diis sunt.

Hic tandem illi: Rem totam & acutè, & perspicuè confeciſti: nec quidquam est, quod amplius exquiramus. Superest verò, ut tibi gratias agamus quamplurimas, quod exquisitis cibis, ac scitamentis ventrem, erudita verò quæstione animum refeciſti. At tum ego: Imò ipse vobis gratias agam, quod tanto me honore prosecuti, complexique estis; quæsoque ut vos propidiem revisam. illi verò cum assurrexissent, ac rogassent, numquid Strabias vellem? discesserunt.

CAPUT VII.

Recitatur carmen, cui titulus, Soteria Divo Ianuario pro restituta salute Regi Catholico.

CUm à quiete meridiana ad mensulam sedissem, ut exaratis jam literis diem ascriberem, annuloque obsignarem, me ne suspicantem quidem Vellejus oppressit, adolescens perquam lætæ indolis, & mihi similitudine morum vel in paucis charus: cumque hilari mihi vultu, atque ore blandissimo salutem impertiisset. Age, inquit, da mihi strenam, & plurimam quidem illam: Rex noster insperatò convaluit, præsentissima, ut creditur, Divorum ope. Tum ego: O suave nuncium! cui, fateor, magna debentur Evangelia. Et sanè darem, nisi id ante dies quinque jam præsensissem. Tum ille multa perculsus admiratione. Quis, inquit, tam citò

famam prævertit? Et ego: Cardinalis Præsul, qui mihi significavit Divi Januarii Sanguinem semper hoc anno liquisse miro modo, certissimus quippè hic faustitatis nuncius erat, & poëtæ nonne divini? Cui ego Divo intra quinque hos dies carmen conscripsi, futurum Soteria: & sanè tanto calore, atque impetu, ut torum in me Apollinem irruisse credas, illud jam transmissurus eram ad Cardinalem, epistolamque obsignabam. Tum ille: Amabo, inquit, recita illicò, antequam illam signes. erit hæc mihi strena plurima, & gratissima. Tum ego eodem & loci vestigio, & temporis carmen recitare aggressus sum hoc modo.

SOTERIA

Cum Anathemate

DIVO JANUARIO

Pro restituta salute

REGI CATHOLICO.

AD JACOBUM CANTELMUM

Cardinalem amplissimum Archiepiscopum Neapolitanum.

Hæc ego vos, Musæ, quotquot felicia Tempe
Æmoniæ, & Pindi quotquot nemora alta tenetis:
Vos quæ Permessi, vos, quæ rigua, Aganippes
Incolitis fontes, fortunatosque recessus

Pas-

Parnaſſi, Cyrrheque jugis erratis amœna,
Optarim, Diva, præſentes: nam mihi veſtro
Numine opus, dum magna animus tentare cothurno
Heroa, & totum numeris Helicona ciere.
Aggredior magni laudes, decora inclyta Regis
Auſtriaci, & nitidos cantu celebrare triumphos,
Devictaſque acies Furiarum, & peſtiferam vim,
Præſenti Divum auxilio, & Pietate ſecunda.
Ergo agite, & faciles properate ad grandia cœpta
Pierides, dignumque Deo concedite carmen.
Eſt locus Heſperia in magna, quem nomine Averna
Dixerunt Graji, ut perhibent; quia pervia nullis
Alitibus vada cæca, nitroque, & ſulphure glauco,
Semper & halituum graveolentibus obſita nimbis.
Horrificis præcincta jugis ſqualentia torpent
Stagna, nigro limo, calamoque obducta paluſtri.
Quæ propter tenues campi, rariſſima circum
Quos veſtit, ſeque ipſa comis vix induit, arbos.
Nimirum triſti areſcit languida tabe,
Et terra, & cæli vitio: namque uda mephitim
Peſtiferam gremio tellus exhalat ab imo:
Deſuper & nebulis horret denſiſſimus aër.
Rupe ſub incurva, ſaxiſque, & ſentibus horrida
Eſt ſpecus, informiſque ſitu, & caligine cæca,
Atque aditu patet anguſto, quà ſemita mille
Per gyros, flexuſque, & præcipites ambages,
Terrarum ſubter gremium nigra, invia ſerpens,
Ad Manes Stygios, horrendaque Tartara ducit.
Ex illa nuper (facti certiſſima fama)
Quotquot tecta colunt Diræ Cocitia, furvis
Erupere antris viſura lumina, & auras
Hauſtura ſuperas, ludoſque agitare nefandos.
Namque his Eumenides ſolita ſpatiarier arvis:
Hic & concilium Stygiis de rebus habere.

Digna quidem infernis, quæ Diris præbeat ora
Otia, & atrotes animos ad gaudia flectat.
Hùc & vicinæ quotquot fumantia Phlegræ
Antra tenent Furiæ, quæque exhalantia peſtes
Lethiferas, Aniane, ſecant tua flumina: quæque
Non procul Inarimes per concava, perque caminos
Ardentes habitant, vaſtuſque includit Epopeus:
Nec non, ambuſto quas tum de vertice fervens
Intus, & horrendo reſonans tonitrique, boatuque,
Et portentifero ſublucens igne, ſub auras
Ructabat nimbo ingenti, rapidaque procella
Vesbius, anguiferæ venere ad ſtagna ſorores:
Hic poſtquam cunctæ cœiere in gaudia Diræ,
(Gaudia pròh Superi! quænam furialia poſſunt
Pectora percipere, æternoque ululantia luctu)
Littore in informi liventia propter Averni
Stagna ſedent: meſtiſque horrent aſpectibus oræ.
Horreſcunt angues implexi crinibus, horret
Lingua, exertæ minax, horreſcunt ſibila collæ.
Sulphureæ fumant nares: mirabile dictu,
Nigrantes ſpirant nebulas, non æra: & atra
Ipſæ etiam fumant aures: ſimul ipſa mephitim
Peſtiferam latèque vomunt: gravis halitus auras
Corrumpit, putri prorumpens guttere ab imo.
Deſpumant rabie inſana, & ferventibus iris
Pectora: rauca ſonans vox detonat: atra furore
Labra fremunt: palleique cavis frons horrida rugis.
Dum ſic horrifica carpebant otia Diræ
Propter Avernales undas, lucoſque malignos,
Tum cœtum in medium irrumpens furialis Erinnys,
Hæc, horrenda tonans, affatur voce ſorores:
Quid vos hic, ſociæ, molli torpetis Averno?
Quid ceſſatis adhuc, nequicquam lenta trahentes
Otia? magnanimæ toto cur pectore curæ

De-

Depoſita? tempus cur hic laceratis inertes?
Surgite, non hilares fas nunc inducere cœtus:
Non molli indulgere joco, riſuque petulco.
Num quæ res agitur nondum delapſa ſub aures
Eſt, ſocia, veſtras? potuit vos fugere illa latere?
Magna quidem, atque ingens: & ni vos fortibus auſis
Ilicet inſurgatis, eris latura ruinam
Ingentem nobis, Stygiiſque penatibus, ehen
Quam ſubito aſpicio naſcentem creſcere peſtem!
O agite, ò Diræ, celereſque aſſurgite in arma:
Latius & neſe diffundat, cadite monſtrum.
Principio facile eſt ſurgenti occurrere morbo,
Qui poſtquam venas victor ſe fudit in omnes,
Non vi, non ulla poterit ſuperarier arte.
Hæc ubi terribili ſonitu crudelis Erinnys
Verba dedit limphata, metuque exterrita multo,
Anulſit rabie crinem, labiumque momordit.
Tunc Erebi contra, Noctiſque horrenda propago
Solicito perculſa metu, ſic protinus ore
Inſit Tartareo: Tanti quæ cauſſa doloris?
Eja age, fare ſoror, quanam molimine tanto
Res agitur? Toto num pax componitur Orbe?
Heu! inviſa diu mihi pax, inviſaque cunctis
Manibus, & rebus ſemper pax invida noſtris!
Credo equidem: nam nulla poteſt majore ruina
Res Erebi quaſſare domus, atque infera regna.
Anne, ſoror, fallit mea me ſententia? fallat
O utinam! quantum foret hic optabilis error!
Tum gemitu ſimo ducens de pectore Erinnys,
Haud equidem, ſoror Alecto, (reſponderat olli
Pro cunctis hæc una loquens) haud falleris, inquit.
Iam jam de cœlo, curru ſubvecta ſuperbo,
In terras veniet pax amula: jamque ſonoro
Applaudunt plauſu populi: jamque alta trophæa

Inſtruere, & feſtas meditantur ducere pompas.
Et ni ſe totis opponat viribus Orci
Regnator: ni tota ruat Plutonia pubes
Agminibus denſis in prælia: ni ſimul ipſe
Inſtruimus contra fraudes, totumque ciemus
E penitis Acherontha vadis, proh! quanta ruina,
Et quantus Diti luctus, cladeſque futura eſt.
His dictis animi Dirarum, & pectora magnis
Exarſere odiis: Furiis furor additus ipſis.
Et ſtimulis præceps rabies, ceu flamine flamma,
Irritata novis, mixtim fremit effera turba,
Murmureque, ſtrepituque, & Tartareo ululatu.
Immani clamore ſonant circum undique Averna,
Et nigra in cœlum conſurgunt fumida nube.
Atque arva, atque lacus, colleſque ardeſcere viſi.
Ceu cum nimbiferi turbarunt æquora venti,
Inque adverſa ruunt flantes Corique, Notique
Tum ſlabris commota fremunt vada, pulſaq; plangũt
Littora: colliſis & fluctibus alta reclamant
Latè ſaxa: ſpecus Tritonum regna beatu
Reſonant rauco, & penitis ſonat unda cavernis.
Cæcentes ſurgunt ſpumæ, rupeſque lacteſcunt
Ictibus, & cœlum nimboſa aſpergine pulſant.
Mox ubi tantiſper Furiarum immane reſedit
Murmur, & in primo rabies egeſta furore eſt,
Concilio in medio conſurgens ignea vultu
Fumifico, caput anguineis horrenda capillis,
Rugoſis & fœda genis, turpiſſima mammas,
Et putri macie, & diſcincto ſordida amictu,
Audaci ſocias affatur voce Megæra,
Sic ingreſſa: Deæ ſuſpenſis auribus atræ
Attendunt: vada preſſa ſilent ſtagnantis Averni,
Et ſtrepitu concuſſa prius nemora alta quieſcunt.
Ne, ſocia, dubitate; animos revocate priores,

Et

Et certam palmæ ſpem ſumite: Dis modò cœptis
Annuat, & noſtris Parca conatibus adſint.
Rem magnam concepi animo, ingentemque ſorores:
Quæ nullo ſudore ferat, diſcrimine nullo
Egregiam nobis palmam, prorſuſque timore
Eximat, & dubiis det rebus certa ſalutem.
Haud multis opus eſt non & tentare pericla
Ingenti rerum niſu ſtat plurima: quando
Vnius ferri poteris victoria fato.
Vnum ego corripiam ſecura: dabit caput unum
Quod non mille darent pugnæ, & diſcrimina mille.
His dictis erecti animi, preſſuſque parumper
Eſt dolor, & ſævi rabies lenita furoris.
Mox omnes noſcendi avidæ: Quiſnam ille, repoſcunt,
Quo ſolo extincto poſſunt tot damna repelli?
Ollis Eumenidum tum ſic terrima, rauco
Obſtrepit ore: Animos, mentemque advertite, tantum
Vnus qui valeat nobis avertere caſum,
Heſperiæ rex eſt. hoc uno in cardine nixa
Verſatur rerum moles. hic ſubſtinet Orbem:
Hic magnis regit auſpiciis, hic ſpem fovet omnem
Imperii: hic ſolus pacis, belli arbiter hic eſt.
Proles nulla viro, terras fulcire tubantes
Quæ poſſit, quæ regna meum tot liberet, & quæ
Naſcentes dirimat lites, ſedetque tumultus.
Ergo hic ſi noſtris tollatur fraudibus unus
Quot lites, quot bella omni naſcentur in Orbe?
Et quot erunt motus populorum, atrique tumultus,
Et rixæ, & cædes, exoptandæque rapinæ?
Sic quæ magnifico properat deſcendere curru
Pax, iterum in cœlum refugo pede pulſa redibit.
Sic ſtabit res noſtra, Stygis ſic regna manebunt
Inconcuſſa, nec ullum unquam caſura per ævum.
Hæc dedit exultans animo furioſa Megæra;

Et

Et dictis plausere Dea, infandosque dederunt
Clamores: cunctaque effusæ in gaudia, festos
Innectunt sine lege choros, incondita jactant
Carmina Tartareo ritu: stridentque, ululantque.
At non ipsa dolis visa est gaudere repertis
Tisiphone: verum dejecto plurima vultu
Mente agitat dubia, & tandem sic perstrepit ore:
Magna quidem meditata, soror, quaq; illicet essent,
Haud equidem insicior, rebus lætura salutem.
Sed quam difficilis factu res ista? parasti
Sic tu mente? quis hæc tantarum exordia rerum,
Dic age, perficiet? Regemne invadere Iberum
Posse putas? structaque audes comprendere fraude?
Falleris. haud tantum nostris conceditur ausis.
Hic amor est Superum, cunctorum hic unica Divum
Cura est: huic totus, quis credat? militat æther.
Hunc pietas, hunc rara fides, hunc protegit omnis
Virtutum stipata cohors, hunc sancta tuetur
Religio Romana, sacris & sustinet armis.
Hunc tot vota, preces que fovent, fovet hostia, sacras
Plurima quæ semper Superis mactatur ad aras.
I nunc, & tantum, si fas, caput impete. frustra
Austriacum in Regem fraudes, frustra arma parãtur.
Tum sic audaci respondens voce Megæra
Ingreditur: Tu mente, soror, mestissima semper
Concipis, & tristi perturbas omine cœpta.
I, precor: atque metus hos doceque: sola quiesce.
Mecum erit iste labor. quidquid tentare licebit,
Protinus aggrediar: nihil & nihil ipsa relinquam
Intentatum, illum quo perdere posse putabo.
Vna omnes impendam artes, cuncta una movebo.
Opponant se Dii, obstet mihi Iuppiter. esto.
An Superos hæc cura tenet? teneat. mihi certum est
Cuncta ciere, dolos ordiri, & nectere fraudes.

Quid

Quid tentaſſe nocet? nonnunquam audacia rebus
Profuit extremis, & quantum fortiter auſit,
Tantum quiſque poteſt. Nec plura effata repentè
Concilio è medio ſe ſubtrahit, & citagreſſu
Speluncam ſubit horrendam, penitusque reposſum
Precipitat terra ingremiũ, atq; Acheronte ſub imo eſt.
Eſt Erebi limen juxta, ſtygiamque paludem
Immani ſqualore locus deformis, & horrens
Aſpectu, putore gravis, cœnoque liquenti
Sordidus, & nebulis ſemper fumantibus ater.
Hic triſtes habitant morbi, febreſque maligne,
Hic tabes, hic dira phtiſis, macieſque, lueſque,
Atque Elephas, ſcabieſque furens, rigidaq; podagra:
Vlceraque, choleraque, & non toleranda nephritis.
Hic etiam rabioſa, pudens ſtat Siphilis, aſthma
Stat grave, ſtant vomicæ, ſtranguria, cœca phreneſis,
Iſchias, & varix, cunctorum & maxima Peſtis.
Huc ubi ſe celeri vexit pede ſæva Megæra,
Illicet ad ſeſe Febrim vocat. una tot inter
Eſt hæc viſa potens fraudi ſervire nocenti.
Principio namque illa levis contemnitur: at ſe
Per venas poſtquam diffudit ſubdola, nullis
Herbarum ſuccis, gemmarum nectare nullo,
Nec docti poterit depelli Pæonis arte.
Haud morã Tartareo Febris ſaturata veneno
Advolat accita, & quæ ſint mandata reposcit.
Tum ſic illa: Tibi niſu ſtat protinus acri
Magnum opus arripere: atque animis audacibus illud
Perficere extemplo: fraudi mora ne levis obſit.
Eja age, & Heſperium confeſtim corripe Regem:
Atque venenata corpus totum inſice flamma.
Et pereat facille prius, quam ſentiat Orbis
Decubuiſſe. tenes? ſunt hæc mandata tremendi
Ditis, & Eumenidum cœtus hoc præcipit omnis.

Di-

Dixerat. acutum Ditis præcepta faceſſens
Febris acuta volat, rapidoque per æëra curſu
Fertur in Heſperiam: quaque irruit, inficit auras
Afflatu, ſpargit virus, ſuccendit & ignem.
Vt venit, præcelſa petit palatia, & intus
Irrumpens animoſa, ſubit regale cubile,
Inviſa excubiis: regiſque jacentia membra
Occupat, inſinuans ſe ſe per viſcera: & imis
Seva latet fibris, & cæco perfurit igne.
Magnus at interea Divus, tutela paterna
Cui data Parthenopes, Regnique, & Regis: abana
Quique ſuo, vel ut arce tegit, munitque Cruore,
Talia ſyderio deſpectans vertice Olympi,
Haud equidem tantum Furiis licuiſſe malignis,
Æqua mente tulit: curaque haud immemor, altum
Sic ſupplex Regem alloquitur Divumque, hominumq;
Ne patere, ò cœli, terræque æterna poteſtas:
Quique Stygem ditione premis, Maneſque ſuperbos:
Et morbos nutu, & peſtes diſpergis: & ipſam
Indomitam frenas mortem, cunctiſque benigno
Numine largiris vitam mortalibus ægris:
Ne patere, ut tibi dilectum caput, omnibus & Diis,
Extinctus cadat Eumenidum rabieque, doloque:
Vna & Pax illo pereat, ſpeſque unica Mundi.
Hic etenim, ſcis, ſumme Pater, hic maximus ille
Eſt Atlas, geminos humero qui ſubſtinet Orbes;
Mente regit, fovet auſpiciis, virtute tuetur.
Si ruat, ah! caſum remove, qua protinus illo
Extincto, Mundi totius vaſta ſequetur,
Tot Regnis unà, & populis lacrymanda ruina?
Permiſtis quæ pugna foret contraria rebus?
Tempeſtas quæ fœda ageret terramque, freumque.
Iam chaos horrendum video: jamque omnia mixtim
Involvi: atque uno jam jam ruere omnia fato.

Ne

Ne patere id, Genitor, vivat tibi Carolus: illo
Tot vivant populi, tot ſtent & ſoſpite Regna.
Hic magnum, Pater; ah! moveant tete iſta, Latina
Eſt Fidei columen: ſubnititur omnis in illo
Relligio: vireſque illo, decus, accipit illo.
Illo & ſub geminos ſeſe auſpice detulit Orbes:
Regna tot, & populos victrix ſibi ſubdidit, & tot
Cardine terrarum defixit utroque trophæa,
Quà Sol perpetuo ſurgit, quaque occidit igne.
Legibus hic, hic armis terra, pelagoque tuetur
Antiquos Patrum ritus, & ſacra: ſuperbam
Hareſin hic, Stygiis & portentoſa cavernis
Monſtra domat ſemper ſurgentia: vindicat aris
Hic decus, & Latia tutatur jura Tiara.
Ergo hic Dirarum pereat ſi fraude, maligna
Correptus febri, quantam (Pater optime, talem
O precor, ò prohibe caſum, & ſuccurre cadenti)
Relligio cladem accipiet? quot monſtra repentè
Aſſurgent? qui ſqualor erit, qui luctus in aris?
Qui ſe ſacra ſuper turbo diffundet? & atra
Quot tenebra incũbent Mundo? quot dãna ſequẽtur?
Quantis ſeſe animis, quanta ſeſe efferet ira
Hareſis? ò quantum rurſus limphata per Orbem
Excurret, liteſque ſerens, & triſtia bella!
Ergo age, Dive, precor, Mundi miſerere labantis,
Et Fidei miſerere tuæ, non hic Pater uno
Auſtriaco de Rege agitur: ſed vertitur omnis
Hic Fidei, Mundique ſalus; quæ tota ſalute
Pendet ab illius: tantoque in cardine nixa eſt.
Fac igitur multos Mundo Rex Carolus annos,
Et multos Fidei vivat: pulchraque parentem
Fac jam prole virum: quæ ſpes exſuſcitet Orbis,
Quæ tot Regna metu, tot gentes eximat ortu,
Quem tantæ petiere preces, vota omnia Mundi.

Vix

Vix Divus finem imposuit, cum voce benigna
Sic contra affatur Genitor, qui cuncta gubernat
Fata hominum, atq; unus vitam largitur, & aufert.
Pone animis hunc, Dive, metũ: mea maxima cura
Carolus: atque illo non est mihi gratior alter.
Multa virì virtus, pietas mihi nota, pudici
Et mores, & rara Fides, & multus avitæ
Relligionis amor: sacrorum & cura meorum.
Cuncta avibus sat digna suis: stant certa nepotum
Fata: stat & vitæ cursus longissimus illi.
Et quoniam tutela tibi data Regis, amicam
I, fer opem; nostrasque vices tu Dius obito.
Dixerat. imperio Divus parere Tonantis
Protinus aggreditur: volucrique simillimus Euro
Æthera corripuit cursu, camposque nitentes
Dissecat: atque Orbes nunc hos, nunc præterit illos.
Astraque nunc hæc, & nunc illa nitore lacessit.
Iam propior terris ibat, mirabile visu,
Continuò flammas, & vasta incendia pressit
Vesbius in sese, tacitoque obmutuit ore.
Scilicet adventum Divi testatus. & atras
Ipsa etiam flammas tenuit, fumumque malignum,
Atque vaporantem compressit Phlegra mephitim.
Nec Furiæ caruere metu: nam fulgor ab alto
Vt Dius cœlo fulsit vicinus: & omnem,
Discussa actutum nube, illustravit Avernum,
Confestim cæca pulsæ formidine Diræ,
Non ausæ aspectum Divi tolerare tremendum
Terribiles nec ferre minas, & verba: repentè
Rugitu immani fugiunt: mixtimque per antrum
Irrumpunt pavidæ, penitoque abduntur in Orco.
Victor at ille Febrim vocat ad se, & talibus orsus,
Increpat: illa tremens vix sustinet ora minantis.
Ergone tu tantum potuisti, pessima, crimen

Au-

Audere? & regem quo non eſt charior alter
Cœlicolis, quo nec terris eſt ſanctior alter,
Corripere, & dira confeſtim perdere peſte?
Scilicet, ut totum quateres à cardine Mundum,
Verſares ut ſacra? aleres ut & impia bella?
Vt face Tartarea, Furiis & agentibus ipſis,
Omnia corriperes, miſceres omnia luctu?
Improba tete ego: ſed præſtat depellere peſtem
Carpore ab agroto, charoſque mederier artus.
I præceps fera ſæva, nigris & te conde ſub umbris:
Et regem incolumem, purgataque membra relinque.
Attentata lues alias mihi, dira! faceſſe.
Nec mora, præcipitat regali è corpore Febris:
Seque lacuſtygio pavitanſque, tremenſque recondit.
Siderio tum rore fovet languentia membra
Divinus Chiron: certamque inducit in artus
Temperiem, ſolidat nervos, priſcumque vigorem
Reſtituit: centumque habilem confirmat in annos.
Hæc ubi, continuò, tenuis velut aura, ſupremas
Seſe agit in ſedes: diumque relinquit odorem
Atque implet totum divina luce cubile.
Hæc dum diverſa penitus regione geruntur,
Criſtallo in gemina Sanguis ſervatus ab illo
Integer, illibatus, & igne rubentior ipſo,
Tempore, quo ſacro Divi de Corpore fluxit,
Mira Fides, ſenſim viſus molleſcere ad inſtar
Roris purpurei: nimirum lata canebat,
Parthenope, cruor ille tibi divinus! amicam
Nam tibi, ſi liquidus, pacem, & felicia: durus
Si rigeat, mala portendit, venturaque bella.
Gaude, optata tibi nunc concinit. En citius alto
Nuncius ut properet: Zephyrus, nec fallor, & ille eſt.
Et feſtivus adeſt, oleaque inſignis ibera.
Noſco omen, tibi lata refert, & grandia ad aures,

Parthenope. viden', ut placidis se devehat alis?
Vt blando niteat vultu? ut mollissima spiret
Gaudia? roriferis ut perflet leniter auris?
Laetitia, viden', utque oculi, ut latum exiliat cor:
Audin', ut ereptum fato tibi nunciet almum
Rectorem Hesperiae? ut praesenti Numine Divi
Illius accepit, cui stat tua cura, salutem?
Audin', ut ore canat laeto, quod & omnis in illo
Spes Mundo, pax alma, quiesque optata revixit?
O Superi, vos quanta polo nunc gaudia ab alto,
Laetitiam quantam toti demittitis Orbi!
Tuque vel in primis, IANVARI Maxime, nostram
Hanc qui Parthenopen, regemque, & regna tueris:
Quique manu forti Furias, & Tartara frangis,
Pestiferamque luem, atque incendia vasta coerces.
Quas igitur nunc, Dive, tibi pro munere tanto,
Quas meritas toto referemus pectore grates?
Haud equidem, quamquã cupimus, persolvere dignas
Possumus: exsuperant nostras tua munera vires:
Exsuperant animos, & vota. referre negatum
Si nobis tibi, Dive, pares, has accipe, cuncti
Quas humiles agimus: vultu & dignare benigno.
Et queniam, tu, Dive, potes, age, grandia cœpta
Perfice: & optatam Regi, Regnoque, precamur,
Da prolem augustam, da pacem, & gaudia terris.
O age, totius tandem spes erige Mundi.
Interea accepti memores monimenta favoris,
Haec tibi Parthenia referent donaria Musa:
Hesperium Pario servatum in marmore Regem,
Et prolem juxta insculpam. qui paruulus ore,
Atque oculis magnum referat, genituque Parentem.
Qua Puerum blandis foveant amplexibus, addam
Spem laetam, Pacem tranquillam, & Gaudia blanda.
Atque haec in niveo describam carmina saxo:

In-

Insperata salus Hispano reddita Regi,
Et Proles concessa viro, securaque tantis
Parta quies populis, & tot spes addita Regnis,
Et data Pax terris, & Gaudia gentibus, unus
Hoc tantum perfecit opus IANVARIVS Orbi.

Vix recitaveram, cum Vellejus: Beasti me, inquit, carmine tam sonoro, tam nitido. calebas tu certe quidem: nec sanè scio an alias majore te Phœbus æstro agitaverit. Verum enimverò opportunissimè factum, ne erga Pientissimum Regem, & cui familia nostra universa plurimum debet, in nobis officium desideraretur: inque communi urbis lætitia, ac plausu nostra tantum fora silerent. quocirca gratias ago, & si possem habere etiam vellem, quod in totius Orbis gaudiis, atque acclamationibus, nostræ etiam lætitiæ tam insigne argumentum protulisti. quæsoque, ut in lucem edas: spero enim fore, ut exciperetur animis lubentissimis. Tum ego: Faciam, si in hanc etiam sententiam ibit Cardinalis: cujus ego judicium, atque authoritatem magni facio. Hæc cum dixissem, assurreximus. mox illum in cubiculum induco, ut tantisper quiesceret. ipse ad domestica ministetia me confero.

CAPUT VIII.

Occasione cujusdam Simiæ perquam lepidæ, festiva quædam historia de Simiis Indicis, quæ se internecino odio persequuntur, refertur.

Quodam manè egressus rure motandi corporis caussa Surrentum petebam: aderant mecum M. Junius, & Sextus Niger, qui forte sub illos dies me Neapoli tum oblectationis, tum officii gratia convenerant. Et quoniam semper sapientiam, & gravitatem

præſtare visi ſunt, ſummo apud me loco, ſumma eriſtimatione habiti. jam confecto viæ dimidio, quod hinc inde amplexantibus ſeſe frondosis arborum ramis, opacum eſt, & ſolaribus radiis veluti interpictum, in ædes cujuſdam viri nobilis, mihique amiciſſimi perveneram. Hic illum pro foribus offendi. quem, ut primùm video, ſtatim ſaluto, proſperumque diem impertio. Ille viciſſim, & perquam benevolè ſalvere jubet, & lætum mihi diem ominatur. Poſteà verò me rogat, ne gravarer ſubsiſtere tantiſper ſub porticu ędium ſuarum: ex qua pulcherrimus ad mare proſpectus patebat. atque hæc dicens penulam cœpit. Ego, ut viro benevolenti morem gererem, etsi ulterius ire conſtitueram, tamen ſcindi penulam paſſus non ſum. Ingreſſi igitur atrium ſub porticu ſedemus. Erat hic Simia, quædam perridicula, quæ simul, atque nos vidit, ut ſunt hominum imitatrices, ſtatim nos ſalutat humano modo: oſculum ſcilicet manu porrigens. nos ne erga beſtiam tam urbanam inurbani videremur, illam eodem prorſus modo ſalutamus. qua illa viciſſitudine officiorum mirum quantum gaviſa eſt. nihil ſanè honeſtius grato animo; quandoquidem id manifeſtiſſimis signis ipſa etiam bruta approbant. Interea loci, dum hæc mutua officia exhibentur, puer ex horto adeſt, quasillũ ferens ficis tum dulciſſimis, tum frigidiſſimis, quippè quę matutino rore affatim imbutæ etiam, benè plenum. Tum amicus me rogat, ut hortuli ſui ficus guſtarem: illas eſſe delicatiſſimas, & perquam raras. erant autem Lydiæ mamillanæ, tam grandes, quales nullibi unquã conſpexeram: Illi ego gratias ago pro ſua in me benevolentia, quam mihi continuò præſtabat: cæterum illud ſtomacho noxium futurum, quippè delicatiſſimo. neque mihi id moris eſſe, ut diem frangerem adeò tempeſtivè. Tum ille Junium, Sextumque rogat, ut

ſal-

ſaltem ipſi, qui juvenes, ac vegetiores erant, ficus aliquot comeſſent. Cui tum illi: Ne inurbanitatis, inquiunt, arguamur, unam, vel alteram delibabimus. Interea cum Simia videret me à ficis continere, geſtu perquam humano, rogat, ut quas ego nollem, ficus porrigerem sibi: dextraque manu ſtomachum premens, & validum eſſe, & vegetum indicabat. mirum oppidò bruti animantis ingenium. Tum ego binas ficus, & mites, & grandiuſculas accipio è quasillo, Simiæque porrigo. Illa verò (mirabilis certè quidem animantis indoles) læva ficus accepit, dextra verò manu totidem mihi oſcula porrexit: nempè accepti muneris gratias agens. quam grati animi significationem ſæpenumero in homine desideres. Deinde ficus diligentiſſimè mundat, detracto nimirum cortice duriuſculo juxta pedunculum. mox geſtu nos admonet, ut ipſam quodq; factura eſſet, inſpiceremus. cum omnes ad fabulam cōvertiſſent ſeſe, atque avidiſſimè expectarent quodnam ridiculum datura eſſet. illa poſtquam multam de ſe expectationem movit, ficum rectà ſurſum jacit, simulque hiantem buccam recta item in cœlum convertit, quasi rectà collimatura in ſcopum. Et quidem tam dexterè os admovit, ut relabentem ficum ita ore exceperit, ut ne tranſverſum quidem unguem aberraverit. quam cū deglutiſſet, nos plauderemus illius dexteritati, tanta lætitia geſtire viſa eſt, ut & mirum eſſet, & perridiculum. uſque adeò vel bruta ipſa datæ diligenter, ſcitèque fabulæ gloriola capiuntur.

Hic ego, ut amicorum riſum, ac feſtivam illam hilaritatem foverem, (ſcio quippè me fingere ad omnes horas) oſtentatam occasiunculam illicò arripui. Audite, quæſo, inquam, de Simiis quibuſdam Indicis ridiculam quandam hiſtoriolam, quam narrare operæ pretium auribus erit, illam tamen paucis complectar: nam

diu-

diutiuſculè immorari prædium, de quo mihi videndum eſt, non sinit. At Amicus: Quæſo te per noſtram amicitiam, ut illam pluribus, atque otioſus exponas: prædii mihil admodum tibi curæ sit: nam vel apud me prædere poteris: vel si gravaberis, mittam duo ferculaa non inſcitè adornata, nimirum Leucophacum delicatiſſimum, & vitulæ frixum jecuſculum. Cui ego: Gratias ago, quod tantis me beneficiis complectaris, quibus ego nunquam reſpondere potero. cæterum apud te manere non poſſum, etiamsi ſcindas lacinia: fercula, næ ego ruſtius, qui reſpuam. hinc fabulam adorior. In illo Indiæ tractu, qui Orientem, & Gangeticum sinum ſpectat, circa Meliaporem illius oræ principem urbem, campi quidam ſunt arenosi, qui ad eos uſque montes pertinent, qui quasi Apennini peninſulam illam medii ſecant. Hoc loco sic Sextus interpellat: Erunt fortaſsè hi montes Adiſathrus, de quo tu hæc habes VIII. Nauticorum;

Humana in ſpeciem linguæ ſe terra ſub Auſtrum
Porrigit: Adiſathrus medium ſecat arduus illam.
Antiquam velut Heſperiam pater Apenninus
Dividit, Alpe vagus dum currit abuſque nivoſa.

Cui tum ego: Rectè conjectas. & tibi quidem gratias ago, quod meos versiculos, quos intelligo tibi cordi eſſe, recitaveris: illorum enim in me memoria occiderat. ſed pergam porrò. In illiuſmodi campis ſylvæ quamplurimæ ſunt cujuſdam arboris, qui arundinis noſtratis præ ſe ſpeciem gerit. *Bambucum* barbari vocant. iſtæc verò arbor, adeò excreſcit, ut altiſſimos arbores æquet, trunco duro, & latiore. illis longo hinc, illine ordine viæ prætexuntur, tanta multitudine, ut magnas videre ſylvas liceat, ſolum latè inumbrantes. In hujuſcemodi ſylvis incredibilis penè Simiarum multitudo inhabitat. ſed, quod ſanè perquam mirũ eſt, duos

veluti in populos diviſæ: quæ lævam tenent, gens una eſt, altera verò, quæ dexteram occupāt. inter illas nulla omninò commercia: imò perpetuum bellum eſt: ſeſeque internecino odio perſequuntur. habent quippè bruta ſua regna, lares ſuos, ſuas item factiones, quorum cauſſa, & odia alunt, & bella gerunt. Hujuſmodi Simiæ coctæ oryzæ conditæ ſale patrio quammaximè appetentes: & ut illam nactæ ſunt, avidiſſimæ convolāt. quocirca accolæ gentes, quibus illarum cognita, perſpectaque ſunt ingenia, brevi apparatu, ſed magno riſu, ac voluptate feſtiviſſimam sibi comœdiam comparant hoc modo. Compluries ſcutellas oryza plenas certa per intervalla diſponunt in via, juxta verò ſcutellas plurimos vel fuſtes, vel baculos tornatiles bipedales, latoſque uno digito collocant. deinde certum in locum, ex quo fabulam, dicam verius gladiatorium ſpectaculum, extra ictum ſecuri cernere poſſint, derepente recedunt. Simiæ simul ac primùm è ſylvarum verticibus, quibus excubant, oryzam conſpicantur, ſtatim in prædam advolant. videres geminos Simiarum exercitus hinc, inde inſtructos jam jam prælium inituros. Victoriæ verò candidam pultem præmium futuram, illam item & laurum, qua victrix acies donanda ſit.

Principio minis sibi mutuò incuſſis velitantur hoc modo: dentibus frendent, frontem caperant, micant oculis, malas diducunt, linguam exerunt, ſeſe quasi cōviciis præſcindentes: manus jactant, digitos incurvant, imbricatiſque unguibus laniatus minitantur. ad ſummam geſtus tam varios, tam ridiculos faciunt, ut illiuſmodi velitatio feſtiviſſimæ inſtar comœdiæ ſpectatoribus ſit, quæ vel à ſeriis, atque tetricis quammaximè hominibus riſum ſolutiſſimum extorqueat. Poſteà verò quam in hunc modum diu velitatum eſt, ſigna conferuntur. etenim confidentiores factæ, irruere incipiunt.

piunt cominus pugnaturæ: verùm illicò ab adverſariis territæ, tenent ſeſe. reſumptis mox animis, inſtant audacius, ſeſeque veluti adhortantes, urgent: ſed ſtatim dubiæ ſubsiſtunt, tandem timidæ pedem referunt. Rurſus magno impetu, ac clamore, facto veluti claſſicis signo, audaciſſimæ quæque in prædam simul, ac periculum irrumpunt (hæ verò fœminæ ſunt, & illæ vel maximè, quæ inter mammas simiolos habent, nempè quæ acrius fame vexantur: quæ magnum eſt in pericula incitamentum) occurrunt confeſtim adverſariæ illas, vi facta, propulſuræ, sibique paratam prædam vendicaturæ: Verum enim cum fuſtes, ac baculos illos ex induſtria ibi positos in promptu habeant, ſtatim corripiunt utraque manu, atque hiſce armis pugnam committunt. Hoc loco Amicus: Iſtæc profectò ſcena totius operis feſtiviſſima. Tum ego: Rectè quidē conjectas. quāmaximè perridiculum enim eſt videre Simias ſeſe mutuò verberantes, ac veluti fuſtuarium inflingere tanta ira, tanto impetu; ut quam longè ſtrepitus fuſtium, & malè multatatum clamor exaudiatur. tandem ut diù varia fortuna pugnatum eſt, terga dant victæ, ſeque in ſylvis occulunt. hic autem videre eſt, non sine oblectatione multa, multoqui riſu Simiarum quaſdam fracto verberibus capite, quaſdā mutilatas, quaſdā verò bene exoſſatas, omnes tamen magnis ejulatibus terga vertere. victrices verò convolare in prædam, oryzamque perquam avidè devorare. atque hic finis & pugnæ, & comœdiæ eſt, cui multis cachinnis applauditur. Hæc cum dixiſſem, aſſurreximus, rogoq; amicum, Numquid Surrentum, vel domum vellet? Et ille: Nihil admodum, niſi vobis benè ſit. Ego verò: Idemque tibi cupimus: teque ut ſartum, tectumque ſerves. nec pluribus interpoſitis, Surrentum faceſſivimus.

BIBLIOTECA